
COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
Ο ΒΙΟϹ
ΒΡΑΧΥϹ Η
ΔΕ
ΤΕΧΝΗ
ΜΑΚΡΗ

ANIMADVERSIONES
NATOMICO-PATHOLOGICÆ
DE
CHOLERA-MORBO
MOSQUÆ GRASSANTE,

QUAS

NSILIO MEDICORUM MOSQUENSIUM,

QUA PAR EST HUMANITATE,

OFFERUNT

DD. JÆHNICHEN ET MARKUS.



MOSQUÆ.
TYPIS AUGUSTI SEMEN,
TYPOGRAPHI ACAD. CÆS. MED.-CHIRURGICÆ.
MDCCCXXX.

Съ одобренія Временнаго Медицинскаго Совѣта.

Primo temporis momento (*), quo invitabar, ut honorificentissimum munus Secretarii in Nostro hujus temporis medicorum Consilio in me susciperem, contigit mihi tam felici esse, ut peritissimis ejusdem Senatoribus universalem rationem, qua quæstio de morbo, qui hic erupit, ad artem et præcepta revocari posset, dijudicandam proponerem, quæ has præsertim res spectabat:

Primum ut accurata anatomico-pathologica indagatio de signis hoc morbo oppressorum institueretur.

Deinde ut secundum chemiæ leges in sanguinem ægrotorum et mortuorum, ejectos eorum succos, atque ea, quæ intestinis continentur, pariter atque in usitata alimenta, imprimis vero in legumina et fructus diligentissime inquireretur.

Tum ut morbi phænomena in accurate deli neatis hoc morbo affectorum historiis subtiliter exponerentur.

(*) IX ante Nonas Octobres ex nostra tempus computandi ratione.

Porro ut omnia sedulo colligerentur, unde intelligi posset, quo modo hic morbus ortus longe lateque sparsus esset, si tam domicilium et vitæ genus, quo ægroti utebantur, quam rationes usus atque consuetudinis, quibus cum aliis conjuncti erant, spectaveris, ut, quantum fieri posset, nihil deesset, quod ad quæstionem de propagatione hujus morbi dissolvendam conferre posset.

Denique ut accuratæ meteorologicæ indagationes instituerentur, et subtiliter non solum status valetudinis, qua animalia domestica gaudebant, sed etiam incrementum vel sterilitas frugum et leguminum, quibus ad victum utimur, investigarentur.

Humanitas atque benevolentia, qua ratio a me descripta, excipiebatur, mihi persuasit, me expectationi atque voluntati Senatorum Consilii medicinalis, qui tam disciplinæ atque artis, quam actuosi in alios amoris studio flagrant, respondisse.

In hac nostra dissertatione primum cum splendidissimo medicorum ordine eam indagationum nostrarum partem communicamus, quæ ad Choleram melius subtiliusque cognoscendam conferre possit. Sectiones corporum

mortuorum a D. Jähnichen, secundum rationem, quam ipse Consilio medicorum hac de re proposuerat, instituebantur, in quibus, saltem in majori eorum numero D^no^ Rinsky, digno medico-chirurgo juvene, egregio adjutore utebatur. Equidem negotium visa reperta colligendi in me suscepi, et testis ab omnium partium studio alienus phænomena, quæ indagationibus nostris offerebantur, accurate literis mandavi.

Attamen pauca quædam de ratione, qua hæc visa reperta vobis retulerim, mihi commemoranda sunt:

Ut phænomena in vivo atque ægroto organismo cum phænomenis in mortuo uno in conspectu videri possent, narrationi cujusque sectionis brevior ægroti historia præmissa est.

Cum hoc negotium a nobis sine omni præjudicata opinione susceptum esset, et relationes nostræ nil nisi sinceram phænomenorum, quæ nobis offerebantur, imaginem continere deberent: hanc legem nobis scripsimus, ut nulli phænomeno nomen, ex qualicumque demum theoria depromtum, tribueremus, sed ea unice naturæ convenienter atque congruenter verbis

depingeremus. Neque a nobis hoc impetrare potuimus, ut e visis repertis concluderemus, sed, quamcumque sinceram de artium studio atque doctrina opinionem honorantes, cuique medico ea et sua ipsius sententia constituenda permisimus.

Ceterum cupimus atque speramus, ut hic noster labor cum indulgentia et humanitate dijudicetur, cum externæ occupationes nobis nunc minus otii relinquant, quam ut operi, præsertim latinitati (*), extremum perpoliendi laborem adhibere possimus.

D. Markus.

(*) Quum relationes nostræ continuo exciperentur, nosque a quacunque mutatione abstineremus, quædam enuntiationes atque vocabula, quæ vulgo sane aliam significationem habent, sed, si Anatomiam spectaveris, jure civitatis in hac disciplina non indigna sunt v. gr. injectio vasorum etc., quibus verbis res indicata egregie definitur, retenta sunt.

DECAS I.

I.

Stephanus A..... servus D. P.... quadraginta annos natus, e regione urbana in domo D. ni T.... morbo correptus est die 24 Octobris ejusque quarta hora pomeridiana. Utebatur constitutione corporis non admodum robusta. Prima symptomata morbi fuerant haec: vomitus et alvi fluxus frequentes, anxietas, sensus ponderis sub scrobiculo, dolor capitis, et spasmi pedum brachiorumque. Una hora elapsa adiit aegrotantem medicus, eumque mox Laudano liquido S. cum liquore anodino et potu tepido propinatis, et frictione totius corporis oleo Therebinthinæ et spiritu camphorato instituta, in nosocomium sectionis urbanae vehi jussit. Nosocomium cum his symptomatibus ingressus est: cum summa debilitate, dolore capitis, nausea et vomitu minus frequente, diarrhoea rara, pulsu fere nullo, anxietate praecordiali, respiratione difficili, lingua crusta albicante obtecta, spasmis extremitatum superiorum et inferiorum, dolore in latere sinistro. Ibi statim aegrotus balneo vaporario immissus, frictione totius corporis instituta, hirudinibus lateri dolenti appositis, potionem Riverii cum aqua menthae piperitae et tinctura Thebaica cochleatim quavis dimidia hora

bibere jussus est. Altera (25) die aegrotus in pejus ruit, pulsus prorsus cessare, et oculis squalidis, sensibus abolitis, et anxietate summa, hora post mediam noctem prima morte defunctus est (*).

Inspectio cadaveris instituta est Octobr. die 27 hora XI matutina.

Habitus corporis externus: — Sugillationes in partibus corporis, quibus incumbebat, vestigia epispasticorum in extremitatibus, et sanguisugarum in hypochondriis, rigiditas musculorum totius corporis magna, oculi collapsi, nulla rubedo in albuginea, quae muco obducta erat. Musculi dorsi, ad denudandam spinam dorsi incisi, multo sànguine nigrescente impleti erant.

Cranio aperto, omnia vasa durae matris sanguine nigro turgida apparuere; in detegendo cerebro vero ab involvente dura matre versus sinum longitudinalem adhaesiones plurimis in locis inter duram matrem et arachnoideam, nec non granula sabulo non disimilia; inter arachnoideam vero et piam matrem lympha albicans hinc illincque, imprimis pone adhaesiones, exsudata; arachnoidea pluribus in locis haud pellucida;

(*) Quod adtinet ad historias morbi, quales ex nosocomiis accepimus, tales hic verbotenus relatae sunt.

vasa piae matris, quae a substantia cerebri facillime distrahi potuit, multo sanguine repleta. Cerebri substantia, quoad textum et colorem, praeter magnam copiam punctorum magis nigricantium, naturalis, plexus choroidei colore magis fusco, quam vulgo esse solent, eorumque venae multo sanguine repletæ; cætera omnia in cerebro statum naturalem conservaverunt.

Medulla spinalis: — In dura meninge nil peculiare erat, ipsa vero vasa piae matris multo sanguine repleta præcipue circa initium caudae equinae, et, quod imprimis observandum, in ipsa arachnoidea strias opacas, imo ramulos vasorum piae matris sanguine turgidos et firmiter arachnoideae, tubulo inflatae, adhaerentes, invenimus.

Cavum pectoris: — Pulmones collapsi (in tota superficie adhaesiones plurimae, et quoque cum diaphragmate) erant colore peculiari a naturali longe recedente, et quidem extrinsecus ex cœruleo-rubro, intrinsecus vero purpureo, maxima sanguinis spumosi copia repleti, densitate paulo majore quam vulgo, et crepitantes ubique.

Cor: — In utroque ventriculo niger sanguis; in ventriculo sinistro lympha sanguinis

coagulata, seu vulgo pseudo-polypus minor, in dextro vero maximus, plurimis in locis firmiter adhaerens, albido colore, non dissimilis massae adiposo-fibrosae, duas lineas crassæ et maculis rubris et nigricantibus variegatae.

Cavum abdominis. — Peritonaeum et Omentum in statu naturali, similiter lien et hepar, praeter vesicam felleam, quae summopere bile ex atro viridicante distinebatur. Ventriculus aëre distentus, etiam ileum et omnia intestina crassa multo aëre inflata, colon transversum in situ mutato, arcu nempe versus inferiora pendente. Extrinsecus nulla manifesta vestigia inflammationis intestinorum tum crassorum, tum tenuium, sed magis rubebat ileum.

Interna superficies intestinorum : —Ventriculus mucum viridescentem, intestina tenuia griseo-rubescentem, crassa vero plurimum pulti similem griseum continebant. Membrana interna ventriculi cinereo colore et ubicunque maculae rubescentes praesertim circa fundum et cardiam sparsae erant. In intestinis tenuibus: duodenum et jejunum erant in statu naturali, sed ileum roseo colore vel carneo et vasa ejus magis turgida; in intestinis crassis vero: in colo transverso, atque in fine coli membrana mucosa emollita, maculis latis ex fusco rubescentibus insignita.

Arteria aorta descendens et vena cava sanguine nigro repletæ, sed nulla in utraque mutatio membranarum.

Ex arteriis renalibus etiam magna nigerrimi sanguinis copia exprimebatur, renes vero erant in statu naturali, sanguine tamen repleti, et ramificationes vasorum in membrana interna magis conspicuae. Vesica urinaria erat constricta, urinae ad Dr. iij continens, membrana interna pallida, corrugata, spatio trigono rubescens.

Jähnichen. Markus. Rinsky. Physicus Urbis Protopopoff.

II.

Natalia Ivanova V....., civis Mosquensis, annos nata 55, e regione urbana in domo D. K.... morbo affecta est Octobris 25 die, hora 4 pomeridiana. Prima symptomata morbi erant: vomitus bis repetitus, profluvium vero alvi aquosum quinquies, susurrus aurium, spasmi extremitatum superiorum et inferiorum. Ab adeunte medico horis duabus praeterlapsis, post assumtum remedium ex liquore anodino Hoffm. cum laudano liquido S. et post frictionem corporis deducta est in nosocomium. Ibi haec symptomata consignata: debilitas viriummaxima, dolor capitis, anxietas, nausea, vomitus frequens, alvus vehementer fluens, pulsus fere nullus, nec respiratio libera,

spasmi pedum et brachiorum, lingua humida et crusta albida obtecta. Præscriptum erat: infusio Valerianae cum potione Riverii et liquore cornu cervi succ., quaque dimidia hora sumendum alternatim cum xxxgtt aetheris sulphurici, item balneum vaporarium et frictio spirituosa. Altera die (26) status aegrotae pessimus: pulsus nullus, oculi concavi, aegrota dormieute semiaperti, lingua frigida. Hora octava pomeridiana ejusdem diei (26) morte defuncta est.

Inspectio cadaveris instituta est die Octobris 28 hora XI matutina.

Habitus corporis erat macilentus, musculi totius corporis rigidi, facies collapsa, oculi aperti, collapsi, albuginea non rubebat, aderant vestigia epispasticorum, sugillationes in dorso; musculi incisi multo sanguine repleti erant.

Aperto specu vertebrali in conspectum venit parva albidæ materiæ copia obtegens medullae involucra a tertia vertebra dorsali ad nonam usque. Durae meningis vasa sanguine impleta, et rubor magis conspicuus in ea parte meningis ab ultima vertebra dorsali ad secundam lumbalem, qui aqua tepida ablutus non disparuit. Incisa dura meninge piae matris vasa plurimo sanguine inflata, praecipue fere ad pollices duos

ante initium caudae equinae (in superficie postica versus processus spinosos nempe) et exsudationes cruoris extensione ciceris magnitudini aequantes ad septimum par nervorum dorsalium, et pone caudam equinam, ipsius caudae vasa multo sanguine turgida; ad initium nervorum dorsalium p. 2. 8. 9 et 12. lamellæ cartilagineae firmiter arachonoideae adhærebant subrotundae, variae extensionis, sed ciceris diametrum non superantes. Medulla spinalis ipsa quoad substantiam in statu naturali, praeter partem circumscriptam fabae magnitudine in regione septimae vertebrae colli, ubi color mutatus in subfuscum et mollities conspicua.

Cranio aperto, vasa durae matris turgida summopere, arachnoidea in pluribus locis, praesertim secundum tractum vasorum, non pellucida, firmiter ubique adhaerens piae meningi. Substantia cerebri quoad contextum et colorem normalis præter majorem numerum punctorum nigricantium; in ventriculo laterali sinistro et dextro laticis sanguinolenti ad Dr. iij; plexus choroidei multo sanguine referti et ruberrimi. Omnes sinus cerebri multo sanguine scatebant.

Cavum pectoris. — Pulmones collapsi, maxime adhærentes ubicunque, extrinsecus colore cœruleo nigricantibus cum maculis, intrinsecus ex atro-rubro, immensa nigri et spumosi sanguinis copia ubique repleti, substantia ipsa vero non hepatica.


In pericardio ad unciam unam laticis; aspectus cordis externus naturalis præter turgorem majorem vasorum propriorum; ventriculus et auricula sinistra multo atro sanguine, partim congrumato, repleti, alter ventriculus et atrium eodem modo sanguine turgebant, in utroque ventriculo firmiter adhærens massa polyposa seu potius fibrosa, colore albido, quasi concreta cum trabeculis cordis, maculis ex nigro rubris, inter abluendum non disparentibus, imprimis pone exitum atrii in ventriculum, tincta.

Cavum abdominis: — Peritonaei vasa injecta. Hepar et lien in statu naturali; vesica fellea multa bile atro-viridis coloris turgida, ventriculus aëre distensus et intestina eodem repleta. Totus tractus intestinorum in superficie externa magis minusque intenso rubro colore tinctus, jejunum colore roseo, ileum ex cœruleo-rubro, crassa vero intestina in nigrescentem inclinante.

Vasa cœci intestini summopere injecta, colon ascendens et transversum evidentius ostendebant maculas punctatas sanguineas, ecchymosibus similes. Membrana interna ventriculi circa cardiam et in fundo hinc atque illinc rosei coloris et magis corrugata, duodeni membrana villosa fusci coloris; in jejuno vero valvulæ conniventes solæ magis hinc illincque rubentes, in ileo vero tota superficies rubebat et versus finem gradatim in colorem ex griseo cinereum (ardoisée) inclinans, cœcum colore nigricante, colon (melanosis ad instar) maculis nigris interspersis tinctum, similiter etiam intestinum rectum. Pancreas in statu naturali; vena cava et arteria aorta sanguinis nigri plenæ, earum membranæ vero in statu naturali.

Renes et arteriæ renales multo sanguine nigro turgentes. Vesica urinaria contracta, parva, dura, capacitatem ovi columbini referens, membranæ omnes crassiores, membrana mucosa corrugata. Ovaria in statu naturali, sed uterus in cavitate sua nigro sanguine repletus.

Jähnichen. Markus. Physicatus Sodalis Herzog.



III.

Servus D. M.... puer 12 annorum, in domo D. V... morbo correptus est Octobris 16 die hora 10 matutina. Evomuit sexies materiam aquosam, similemque decies alvum purgando ejecit. Una hora elapsa medicus eum in nosocomium traduxit, ubi conspiciebantur hæc symptomata: debilitas corporis magna, anxietas, nausea, vomitus, diarrhoea, pulsus parvus et debilis, lingua crusta albicante obtecta; præscripto remedio ex infusi Valerianæ unc. vj. potionis Riverii unc. j. tincturæ moschi et ambræ dr. iβ extracti ratanhiæ dr. j. cochleatim quavis hora sumendo, balneo vaporario, frictione spirituosa, et sinapismo ad abdomen adhibitis, adhuc perseverante diarrhoea porrectum est aliud ex Aetheris sulphurici, laudani liquidi ää dr. jβ. aquæ menthæ piper. unc. vj. quavis hora cochleatim sumendum. Secunda (17) die eadem symptomata et remedia. Tertia (18) die vomitus et diarrhoea minus vehementes, remedium ex infusi Valerianæ et potionis Riverii ää unc. jjj. Quarta (19) die vomitus denuo frequens. Vesicatorium scrobiculo superimpositum. Intra 5, 6, 7, 8 diem status ægroti idem. Nona (24) die dolor capitis vehementissimus, oculi rubri et concavi, pulsus vix sensibilis, lingua crusta flavescente obtecta, sitis magna, delirium mite. Præscriptum

est camphoræ granum j cum saccharo quavis hora sumendum, et potus elixirio Halleri acidulatus, vesicatorium ad nucham, hirudines ad tempora, sinapismi ad suras et femora, fomentationes frigidæ ad caput. Decima (25) die frigus extremitatum, anxietas summa. Die (26) undecima pulsus nullus, frigus extremitatum, oculi concavi, rubri, semiaperti, delirium, coma, et hora 7 matutina mors subsecuta est.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 28 die hora prima pomeridiana.

Habitus. — Emaciatus, rigiditas musculorum, facies collapsa, oculi aperti, albuginea non rubebat.

Aperto specu vertebrali, periosteum internum vertebrarum injectum et emollitum, multis in locis ab osse avulsum, sero sanguinolento distentum, præcipue circa primas quinque vertebras dorsales et os sacrum. Aspectus externus duræ meningis nihil peculiare præter colorem roseum præbebat, sed inter incidendum in regione epistrophaei magna copia (circiter unc. j.) seri sanguinolenti effluxit. Arachnoidea facillime inflari potuit, minus pellucida erat quam vulgo, aderant trunculi sat conspicui vasorum piæ matris arachnoideæ, tubulo inflatæ, firme adhærentes.

Cavum cranii. — Meninx dura extrinsecus in statu naturali, ex illa laticis aquosi minima copia inter incidendum effluxit, in interna ejus superficie maculæ rubræ præcipue versus processum falciformem, et adhæsiones hinc illincque cum arachnoidea. — Arachnoidea non pellucida. Piæ matris vasa erant turgida. In ventriculis lateralibus nonnihil laticis. Ceterum cerebrum in statu naturali.

Cavum pectoris. — Pulmones collapsi, extrinsecus colore ex cœrulec-rubro, intrinsecus purpureo, maxima sanguinis spumosi copia repleti.— Cor: — Ventriculus sinister sanguine nigro repletus, item dexter, et in hoc massa evidenter fibrosa albicans, conspersa maculis ex rubro nigricantibus, firme adhærens trabeculis carneis.

Cavum abdominis. — Lien et hepar in statu naturali, vesicula fellea pellucida, vesicæ natatoriæ non dissimilis. Ventriculus collapsus, intestina tenuia et crassa aëre distenta, coloris extrinsecus naturalis, præter ileum, quod magis rubebat. Interna intestinorum superficies muco obducta viridicante, speciatim intestina crassa, in quibus variis in locis maculæ fuscæ,

substantia tamen immutata, in intestino ileo color ex albo roseus et in ventriculo præcipue circa cardiam maculæ roseæ. Vesica urinaria ampla sed tenuis, et magna urinæ limpidæ copia repleta, renes in statu naturali. Arteriæ renales multo sanguine repletæ erant.

Jähnichen. Markus. Physicatus Sodalis Herzog.

IV.

Civis Agaphia P . . . annos nata 26, e regione urbana, in domo mercatoris S. . . . constitutionis debilis, morbo affecta est die 23 Octobris hora 8 pomeridiana. Prima symptomata : Vomitus et diarrhoea frequentes, cephalalgia, anxietas, sensus ponderis in thorace. Altera (24) die advocatus medicus porrexit ei laudanum liquidum et naptham vitrioli cum potu tepido. Nosocomium intravit cum his symptomatibus : cum vertigine, cephalalgia, anxietate præcordiali, diarrhoea vehementi, nausea, et vomitu frequentibus, pulsu fere nullo, lingua frigida, pura, facie pallida, oculis concavis. Præscriptum remedium.— Aetheris sulphurici laudani liquidi aa gtt. x. in aqua sumendæ quavis dimidia hora alternatim cum mixtura ex potione Riverii et aque menthæ piper. composita ; mox balneum vaporarium et frictio spirituosa. Tertia (25) die morbus mitior, cephalalgia

continuatur. Mixtura omissa, ordinatus est pulvis ex nitri, gummi arabici aa gr. x. calomelanos gr. j. quavis hora sumendus, appositæ hirudines hypochondrio dextro et sinapismi suris et femoribus. Quarta (26) die somnolentia, stupor, pulsus vix ullus, margines linguæ ex flavo-albescentes, corpus frigidum; ægrota medicamenta respuit. Quinta (27) die iisdem symptomatibus continuatis mors subsecuta est.

Inspectio cadaveris instituta est die Octobris 29 hora XI matutina.

Habitus corporis externus: satis robustus, vestigia epispasticorum in suris et femoribus. Oculi aperti, albuginea non rubens. Rigiditas musculorum totius corporis. Musculi dorsi ex rubro subnigri.

Aperto canale spinali, periosteum internum in pluribus locis emollitum et sanguine suffusum, dura mater in toto tractu ruberrimo colore tincta tam extrinsecus quam intrinsecus, adhæsiones plurimæ cum arachnoidea, vasa vero piæ matris minime turgida, et arachnoidea, facilis avulsu, haud pellucida, spatium ipsum inter meningem duram et arachnoideam majus, quasi dilatata esset meninx dura, ex qua incisa effluxit seri sanguinolenti fere uncia una. Substantia medullæ spinalis integra.

Cavum cranii. — Dura mater in statu naturali, adhærebat arachnoideæ, quae pelluciditatem amiserat, in pluribus locis. Ceterum cerebrum in statu naturali.

Cavum pectoris. — Pulmones non collapsi colore extrinsecus ex cœruleo-rubro, intrinsecus purpureo, multo sanguine spumoso repleti, crepitantes, sinister cum pericardio et costis adhæsiones plures ostendebat.

Cor adiposum, in pericardio ad dr. jj. liquoris, in ventriculo sinistro sanguis niger et massa evidenter fibrosa firmiter adhærens trabeculis; valvulæ semilunares ruberrimo colore tinctæ, similiter initium aortæ (membrana ejus interna). In ventriculo dextro valvulæ semilunares etiam rubræ et membrana interna arteriæ pulmonalis pariter atque valvulæ tricuspidales. Totum ostium venosum fere obturatum massa fibrosa, quæ firmiter adhærebat trabeculis carneis et filamentis suis quasi intertexta erat cum chordis tendineis. — Membrana interna aortæ thoracicæ rubra.

Interna membrana œsophagi versus cardiam rubra.

Cavum abdominis: — Peritonæum et hepar in statu naturali; hoc tamen justo minori

copia sanguinis repletum. Omnia intestina aëre distenta, præcipue colon transversum. Lien parvum, sanguinis plenum. Interna ventriculi superficies muco, parietibus adhærenti, subviridis coloris circumfusa, membrana ipsa mucosa, in qua hinc et illinc maculæ rubræ secundum tractum plicarum, circa cardiam magis rubebat. Duodenum et jejunum in statu naturali, ilei mucosa variis in locis ruberrimo colore, qui abrupte pone valvulam cœci desinebat, in intestinis crassis raro sparsæ maculæ paululum rubescentes.

Vesica urinaria contracta in nucis avellanæ vel amygdalæ magnitudinem, renes in statu naturali, multo tamen sanguine repleti. Uterus integer.

Jähnichen. Markus. Physicatus Sodalis Herzog.

V.

Femina libera Natalia I. . . . . annos nata 40, e regione Jakimanskoi, e domo mercatoris S. . . . nosocomium advecta est Octobris 26 die, hora pomeridiana octava. — Symptomata consignata erant: debilitas maxima, vomitus post balneum tepidum vehemens, spasmi extremitatum, vertigo, cephalalgia, anxietas, dolor sub scrobiculo. Remedium: PotioRiverii, aqua menth. pip: æquali dosi sumendæ cochleatim quavis hora et tincturæ

Thebaicæ gtt. XL. ter intra diem. Vapores acetosi, sinapismi ad abdomen et ad suras, frictiones corporis spirituosæ. Altera (27) die vomitus et diarrhoea minus vehementes; pulsus parvus debilis, facies Hippocratica, sopor, denique hora 8 pomeridiana mors.

Inspectio cadaveris instituta est 29 Octobris hora pomeridiana prima.

Habitus externus:—macilentus, rigiditas musculorum in extremitatibus inferioribus solummodo.

Aperto specu vertebrali, periosteum ossis sacri in prima vertebra spuria emollitum; dura mater laxior et in infima parte latice distensa, adhærebat pluribus in locis arachnoideae; in pia matre extravasati sanguinis macula, fabae magnitudine, in parte postica versus ortum x. p. nerv. dorsalium; medulla spinalis ipsa emollita tribus in locis a primo usque ad x par nervorum.

Cavum cranii; — Durae matris vasa admodum turgida; ex emissariis stillabat multum sanguinis nigri, et color subjacentium vasorum piae matris omnino coeruleus, nigricans. Cerebrum ipsum in statu naturali.

Cavum pectoris: — Pulmones coloris ex coeruleo rubri, multis punctis nigris dissemi-

natis, non collapsi, crepitantes; intrinsecus coloris purpurei atris cum maculis hic et illic; pulmo dexter cum pleura et pericardio concretus.

Cor: totum sanguinis nigri plenum. Externa superficies ventriculi sinistri cœruleo colore, ecchymosibus nigrescentibus variegata; interna vero naturali; nec valvulae nec interna membrana aortae rubrae, et massa fibrosa ex sanguine coagulato conferta ibidem minor; in ventriculo dextro massa haec major, albida, firmiter adhaerens trabeculis, pone valvulas tricuspidales, in atrium transiens.

Cavum abdominis: — Hepar in statu naturali, vesicula fellea multa bile ex atro viridicante distenta. Ventriculus et intestina aëre inflata. Ventriculi interna superficies muco subviride obducta, rubens circa cardiam; duodenum in statu naturali, pariter ac Jejunum, Ilei vero membrana mucosa coloris rosei diversis in locis, versus intestinum coecum color intensior inclinans in fuscum, in coeco cum nigrescente striatim mixtus; colon transversum, descendens et flexura sygmoidea coloris nigri (ut in Melanosi esse solet), membranae vero integrae erant.

Aorta sanguinis nigri plena, membrana ejus interna non mutata. Renes in statu naturali, ex arteria multum sanguinis nigri exprimebatur. Vesica urinaria constricta, membrana interna

corrugata pallida, nullum lotium. Ovaria nigro sanguine turgida. Uterus et lien sani.

Jähnichen. Markus. Physicatus Sodalis Schukoffsky.

VI.

Uxor militis Avdotia N.... annos nata 45, e regione urbana in domo B... morbo correpta est Octobris 22 die vespertino tempore. Prima symptomata: Vomitus et diarrhoëa frequentes, vertigo, anxietas, dolor sub scrobiculo, frigus extremitatum. Ad lucem (23) diei medicus præscriptis laudano liquido Syd. et liquore anodino Hoffm. potu que tepido, eam in nosocomium transvehi jussit, ubi ei hæc symptomata erant: — Vertigo, anxietas praecordialis, dolor sub scrobiculo, diarrhœa minime frequens, vomitus aquosus rarus, pulsus vix sensibilis, respiratio libera, lingua alba, facies pallida, oculi concavi et lacrimantes, prostratio virium summa. Ordinata sunt: — Aetheris sulphurici Laudani liquidi S. āā Drij. quavis hora guttæ xx. sumendæ alternatim cum cochleari mixturae ex Infusi Valerianae Unc. vj. potionis Riverii Unc. iij. Liquoris anodini Hoffm. Drij. paratae, item balneum vaporarium et frictio spirituosa. Altera (24) die: — vomitus et diarrhoea cessabant, pulsus erat frequens et parvus, lingua sicca et arida, cephalalgia: Remedium erat: Decocti altheæ Unc. viij li-

quoris Cornu Cerv succ. Drj. cochleatim omni hora ;— et fomentationes frigidae ad caput. Tertia (25) die : — lingua rubra, dolores in abdomine. Praescriptus erat potus ex decocto Hordei cum succo Oxycocci. — Applicati erant sinapismi suris, cataplasmata emollientia abdomini. Quarta (26) die : — somnolentia, delirium mite, rubor faciei, oculorum, linguæ, pulsus frequens et durus ; porrectus est potus ex decocti altheæ Libr. j. cum nitri dr. ij. et appositæ sanguisugæ ad tempora et pone aures.—Quinta (27) die : — aegrota in sopore delirioque quæstionibus non respondebat; præscripti erant potus ex decocti hordei libr. j. elixirii acidi Hall. dr. ij. et pulvis ex camphoræ gr. j. moschi gr. ij. eleosacchari cajaput. gr. xx. quavis hora sumendus, iterum sinapismi ad brachia; ægrota medicamenta respuebat; abrasis capillis vesicatorium vertici superimpositum est. Sexta (28) die : — status idem ; iterum sinapismi suris et plantis applicati. Septima (29) die : — sopor profundus, abolitio sensuum, — mors.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 30 die hora XI matutina.

Habitus externus :— macilentus, rigiditas musculorum totius corporis, musculi dorsi sanguine multo repleti. Facies collapsa, oculi aperti, albuginea non rubens.

Aperto specu vertebrali, dura mater medullæ spinalis plurimis in locis rubra et sublivida, latice extenta, ex qua incisa effluxit seri sanguinolenti fere uncia; vasa piæ matris turgida, imprimis venæ et magis circa initium caudæ equinæ; arachnoidea facillime inflari potuit, opaca pluribus in locis præsertim ad caudam equinam, in toto tractu ejus lamellæ cartilagineæ albidæ, firmiter ei adhærentes, quarum diameter a magnitudine seminis sinapeos ad eam lenticulæ extendebatur. Omnia hæc in superficie postica. Substantia medullæ spinalis sana.

Cavum cranii: — Dura meninx in stasu naturali, omnes sinus multo sanguine repleti et vasa cerebri quam maxime turgida; arachnoidea in plurimis locis haud pellucida et lympha albida secundum tractum vasorum majorum obducta; in utroque ventriculo laterali vasa et plexus choroidei multo sanguine inflati et laticis in omnibus ventriculis fere uncia. Substantia cerebri et cerebelli naturalis.

Cavum pectoris: — Pulmo dexter adhærens pleuræ costali; in parte posteriore coloris fere naturalis, parva quantitate sanguinis spumosi

repletus, pulmo sinister etiam adhærens hic et illic, intrinsecus coloris ex cœruleo-rubri.

Cor: — In ventriculo sinistro nigri liquidi sanguinis uncia fere dimidia et massa fibrosa, vermicularis, fortiter trabeculeis carneis et valvulis mitralibus adhærens, in aortam et in atrium sinistrum in ramos se spargens; in ventriculo dextro major similis massa, etiam fibrosæ texturæ, totam fere ejus cavitatem implens et in arteriam pulmonalem et atrium transiens idque obstruens; tota hæc massa erat intrinsecus albida, extrinsecus a sanguine coagulato firmiter adhærente, nigra et nigris maculis, quæ aqua ablui non potuerant, variegata.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali, hepar etiam, vesica fellea enormis, bile atro-viridicante distenta; omnia intestina aëre distenta; intestina tenuia extrinsecus non multum sanguine impleta apparebant, colon transversum in situ a naturali recedente, ventriculus extrinsecus albidus contractus, intestini capacitatem referens. Ventriculi membranæ incrassatæ, mucosa, albido, viridicante muco obducta, circa cardiam rubescens, in fundo valde corrugata et grisea, ad pylorum alba; ceterum

totus tractus intestinorum naturali in statu pariter atque pancreas. Aorta descendens nigri sanguinis liquidi plena, pariter ac vena cava ascendens.

Renes, permagni, et lien in statu naturali. Vesica urinaria contracta, membranæ ejus crassiores et interna corrugata, in spatio trigono livida. Uterus et ovaria in statu naturali.

Jähnichen. Markus.. Physicus Urbis: Protopopoff.

VII.

Agricola D. T.... Athanasius I.... annos habens 58, constitutionis robustæ, e regione urbana, in domo D. V..... ex hoc morbo laborare incepit Octobris 28 media nocte. Prima symptomata: — Vomitus aquosus vehemens, dejectio materiæ aquosæ ex alvo vicies repetita, vertigo, anxietas et sensus ponderis in pectore, dolor sub scrobiculo, spasmi extremitatum. Mane adiens medicus eum in nosocomium deduci jussit, ubi symptomata erant hæc: Prostratio virium summa, dolor capitis et sub scrobiculo cordis, anxietas, nausea, vomitus frequens, diarrhoea vehemens, spasmi extremitatum, pulsus fere nullus, respiratio non libera, lingua crusta alba obtecta, cutis frigida. Ordinabantur: — Aetheris sulphurici, laudani

liquidi S. ää dr. ij. quavis dimidia hora guttæ xx. sumendæ alternatim cum cochleari mixturæ ex infusi Valerianæ unc. vij. potionis Riverii unc. ijβ. liquoris anodini Hoffm. dr. jβ. paratæ, balneum vaporarium et frictio spirituosa. Altera (29) die hora 4 matutina morbo defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 30 hora pomeridiana I^{ma}.

Habitus corporis externus: robustissimus admodum musculosus, extremitates rigidissimæ præsertim inferiores et manus lividæ.

Medulla spinalis: — Dura mater laxior, ex qua incisa effluxit seri sanguinolenti dimidia uncia, adhærebat in plurimis locis arachnoideae; vasa piæ matris sanguine venoso multo injecta.

Cavum cranii:— Dura mater in statu normali; vasa cerebri admodum sanguine injecta; arachnoidea multis in locis pelluciditatem amiserat; omnes sinus sanguine turgentes; in cerebri substantia, prope a ventriculis lateralibus, magnus numerus punctorum nigricantium, vasa ventriculorum summe turgida, et plexus chorodei præter modum sanguine impleti.

Cavum pectoris : — Pulmo dexter adhærens in tota sua superficie pleuræ costali, ex cœruleo-rubri coloris cum punctis nigris sparsis, non collapsus, intrinsecus coloris purpurei nigris maculis variegati. Pulmo sinister in eodem statu.

Cor : Pericardium, intus rubens. Vasa propria cordis, maximi, summopere injecta et ecchymoses (imo nigris cum punctis) in superficie externa ventriculi sinistri, qui hypertrophia sine dilatatione affectus erat. In ventriculo sinistro maxima nigri et liquidi sanguinis copia, in atrio sinistro etiam, sed coagulati; valvulæ semilunares aortæ rubebant, et massa fibrosa firmiter adhærebat trabeculis carneis et chordis tendineis valvularum mitralium.

Atrium dextrum dilatatum, sanguinis nigri plenum, in ventriculo dextro massa, ex sanguine coagulato conflata, fibrosa, firme ubique adhærens et in atrium et in arteriam pulmonalem transiens; interna superficies atrii et valvulæ rubræ.

Cavum abdominis : — Hepatis lobus dexter major quam vulgo esse solet, sed ceterum hepar in statu naturali, vesicula fellea distenta bile atro viridicante, enormis ; in ductu cystico et choledocho impedimentum transeundi nullum. Ventri-

culus naturali in statu præter parvam injectionem vasorum in curvatura minori. Intestina tenuia in statu naturali; in intestini cœci membrana mucosa ramificationes vasorum conspicuæ, in colo transverso et in descendente rubedo cum maculis ex rubro-nigrescentibus, sed nulla substantiæ læsio. Aorta descendens immensa quantitate sanguinis nigerrimi, atramenti instar, spissioris, in toto suo tractu, repleta.

Renes, Pancreas et lien in statu naturali. Vesica urinaria contracta.

Jähnichen. Markus. Physicus Urbis: Protopopoff.

VIII.

Servus D.. B.. R... D... annos natus 45, constitutionis debilis, e regione urbana in domo Comitis Sch.... ex hoc morbo laborare incepit Octobris 27 die hora 7 pomeridiana. Prima symptomata: — Vomitus aquosus quinquies repetitus, alvi fluxus similis decies repetitus, vertigo, anxietas præcordiorum, sensus ponderis sub scrobiculo, pulsus debilis, spasmi extremitatum. Altera (28) die hora 5 matutina advocatus medicus, propinatis laudani liquidi S. guttis xxxv. et Napthæ vitrioli guttis xx. jussit ægrotum in nosocomium transportari. Hic symptomata consignata: dolor capitis, prostratio virium maxima, anxietas, nausea, vomitus et diarrhoea vehementes,

spasmi extremitatum, pulsus vix sensibilis, respiratio paulo impedita, lingua humida, crusta alba obtecta, vox rauca, facies pallida, cutis frigida. — Ordinatio: — Aetheris sulphurici, laudani liquidi S. ää guttæ xx. quavis dimidia hora sumendæ, balneum vaporarium, frictio spirituosa.—Tertia (29) die facies Hippocratica, pulsus nullus, squalor oculorum, et hora 4 pomeridiana — mors.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 30 die hora 3 pomeridiana.

Habitus corporis externus: macilentus, lividæ extremitates, rigiditas extremitatum præcipue inferiorum.

In ipso canale spinali nihil, quod ab ejus natura recedat. In postica parte medullæ spinalis dura mater arachnoideæ haud pellucidæ plurimis in locis adhærens; vasa piæ matris valde turgida; substantia medullæ ad 6 et 7 vertebram dorsalem emollita, quasi pultacea.

Cavum cranii: — Vasa duræ matris multo sanguine inflata, sinus in basi cranii etiam multo sanguine ex livido-cœruleo turgebant; arachnoidea in plurimis locis haud pellucida; puncta nigricantia in substantia cerebri nume-

rosissima; plexus choroidei ex nigro-rubri, et ventriculi laterales (vasis multo sanguine injectis) laticis sanguinolenti pleni. Ceterum nihil peculiare.

Superficies interna tracheæ et laryngis in statu naturali.

Cavum pectoris: — Pulmones adhærentes, extrinsecus colore ex cœruleo-rubro cum maculis nigris, intrinsecus purpureo etiam cum maculis nigris et multo sanguine spumoso repleti. Cor: In superficie externa posteriori cordis puncta nigricantia, in ventriculo siuistro sanguis ater, et massa ex sanguine coagulato prodiens, fibrosa, trabeculis carneis et chordis tendineis valvularum firmiter adhærens; in ventriculo dextro magna copia sanguinis nigri et massa ejusdem indolis firme insidens trabeculis carneis, transiens in atrium et in arteriam pulmonalem ad palmæ longitudinem, valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens.

Cavum abdominis: — Intestina omnia aëre distenta, ventriculus contractus in latitudinem intestini. In ventriculi membrana interna hinc et ilinc maculæ rubræ. Jejunum in statu naturali, in ileo membrana mucosa rubescens et maculæ rubræ, in processu vermiculari hydatides, in

colo descendente membrana mucosa ruberrima, neque tamen in tota superficie, sed potius in media parte.

Aorta descendens plurimo sanguine nigro repleta. Lien et Pancreas instatu normali. Hepatis lobus dexter major quam in statu naturali, substantia ejus sana, vesicula fellea enormis, ex atro viridicante bile impleta.

Renes sanguinis pleni. Vesica urinaria contracta ad magnitudinem ovi columbini, membranae ejus crassiores, quarum interna erat corrugata, albida, et urinæ fere drachmam continebat.

Jähnichen. Markus. Physicus Urbis: Protopopoff.

IX.

Virgo Natalia S. . . . annos nata 17, constitutionis debilis, temperamenti sanguinei, ab infantia sua, ut ipsa professa est, ex multis morbis laborans, adiit (ipsamet) 26 Octobris hora tertia pomeridiana nosocomium cum hisce symptomatibus: — Cum dolore capitis, diarrhœa vehementi, anxietate, nausea, vomitu frequenti, pulsu debili et parvo, respiratione paulo impedita, lingua humida, sat pura, facie pallida, oculis concavis, cute frigida, appetitu nullo, siti magna, urinæ absentia. Ordinatio

hujusce diei : — Aetheris sulphurici dr. ij. laudani liquidi dr. ß. D. S. guttæ xx; quavis dimidia hora sumendæ alternatim cum cochleari mixturæ ex decocti Saleb. unc. vj. Potionis Riverii unc. jj. aquæ Menthæ pip : unc. iß. liquoris cornu cervi succ. dr. jß. paratæ; adhibita sunt item: balneum vaporarium, frictio spirituosa, et clysmus amylaceus cum decocto ratanhiæ.

Altera (27) die : diarrhoea, anxietas, nausea, vomitus minus frequens quam antea, respiratio non libera, pulsus debilis, sitis magna, cutis parum ad diaphoresin apta. Intra hanc diem sumsit ægrota mixturam ex potionis Riverii unc. iij. aquæ Menthæ pip. unc. jv. liquoris anodini Hofm. dr. ß. paratam, cochleatim quaque hora; sinapismi appositi sunt scrobiculo cordis et extremitatibus inferioribus. — Tertia (28) die : diarrhoea, nausea, vomitus frequentes, respiratio difficilis, sitis minus vehemens quam antea, pulsus intermittens, lingua crusta alba obtecta. Ordinatio : infusi Valerianæ unc. vj. potionis Riverii unc. ij. aquæ cinnamomi unc. j. liquoris anodini Hofm. dr. jß. quavis hora cochlear j. Quarta (29) die : diarrhoea, nausea et vomitus desunt, anxietas maxima, sopor, facies Hippocratica, immobilitas totius corporis; medicamenta ægrota respuit, pulsus nullus, extremitates frigidæ. Capiti fomentationes frigidæ, extremitatibus inferioribus sinapismi applicati sunt. Quinta (30) die

hora secunda pomeridiana ægrota diem supremum obiit.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 31 die hora XI matutina.

Habitus corporis gracilis, non admodum robustus; rigiditas extremitatum inferiorum non magna, superiorum nulla, livor manuum. Oculi aperti, albuginea non rubens.

Aperto specu vertebrali, dura mater medullæ spinalis circa caudam equinam extenta latice, cujus fere uncia effluxit; vasa piæ matris sanguine turgida, et ipsa superficies interna duræ matris rubra; arachnoidea multis in locis haud pellucida, præcipue circa initium caudæ equinæ, in quo loco ipsa substantia medullæ, in superficie postica, ad pollicis extensionem emollita insigniter, anterior superficies in statu naturali.

Cavum cerebri: — Duræ matris vasa sanguine multo injecta; arachnoidea plurimis in locis pelluciditatem amiserat; vasa piæ matris etiam turgida; in substantia hæmisphæriorum puncta copiosissima sed rubra potius; in ventriculis lateralibus non nihil laticis; ceterum substantia cerebri et cerebelli sana.

Cavum pectoris : — Pulmones non collapsi, extrinsecus colore ex cœruleo-rubescente, intrinsecus purpureo magnis cum maculis nigris et sanguine spumoso nigro repleti, crepitantes ; lobus inferior dextri pulmonis quoad textum, hepati similis. Cor : in superficie externa et postica ventriculi sinistri puncta nigra, quasi ecchymoses. In ventriculo sinistro sanguis niger, et massa fibrosa, albida, sanguine coagulato obtecta, trabeculis carneis et chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens et in aortam transiens ; valvulæ semilunares coloris rosei pariter atque mitrales; massa ista fibrosa per ostium venosum in atrium et auriculam sinistram se extendens, ostium venosum fere claudebat. In ventriculo dextro sanguis niger, et massa fibrosa membranæ instar, albida, trabeculis carneis firmiter inhærens, in arteriam pulmonalem, et per ostium venosum, quod fere claudebat, in atrium dextrum, transiens. Valvulæ tricuspidales valde rubræ, pariter ac semilunares et membrana interna arteriæ pulmonalis.

Cavum abdominis : — Intestina omnia aëre distenta, præcipue crassa ; vasa intestinorum tenuium præsertim ilei magis, quam in naturali statu, sanguine injecta ; membrana interna ventriculi diversis in locis subrubra, mucosa ilei paulo rubrior

quam in statu naturali ; ceterum intestina nil peculiare ostendebant.

Hepar in statu naturali, sed sanguinis plenum, vesicula fellea bile ex atro viridicante impleta. Membrana aortæ descendentis interna rubens; lien magnitudinis consuetæ, coloris extrinsecus ex nigro cœrulei, intus substantia fusca quasi pultacea. Renes et pancreas in statu naturali, solummodo majori copia sanguinis impleti. Vesica urinaria in statn naturali nonnihil lotii continens. Uterus virgineus integer ; ovarium dextrum induratum ad magnitudinem ovi gallinacei, in ovario sinistro hydatides.

Jähnichen. Markus. Physicatus Sodalis Herzog.

X.

Civis Mosquensis Avdotia S. . . . annos nata 37, constitutionis debilis, e regione urbana in domo S. . . . Octobris 26 die hora matutina 7 morbo correpta est. Prima symptomata : —Diarrhœa et vomitus frequentes, dolor capitis, difficultas audiendi, molestiæ sensus in thorace, spasmi extremitatum. Adiens illam hora meridiana medicus, et propinatis laudano liquido cum aqua Menth. pip. potuque tepido, et instituta frictione corporis oleo therebintinae et oleo olivarum |, deduci illam in nosocomium

jussit. Ibi adnotata hæc symptomata: Summa virium debilitatio, dolor capitis, anxietas, vomitus frequens, alvi fluxus vehemens, excrementa alvina aquosa, pulsus debilis, parvus, respiratio non tam libera, spasmi extremitatum, cutis frigida, facies pallida, oculi concavi, surditas, lotii absentia. Ordinabatur: Aetheris sulphurici dr. iβ. laudani liquidi S. dr. β. gtt. xx. quaque dimidia hora sumendae alternatim cum cochleari mixturae ex infusi Valerianæ unc. vj. potionis Riverii unc. iij. aquæ Menthæ pip. unc. jβ. liquoris anod. Hoffm. dr. ij. compositae. Eodem tempore balneum vaporarium, clysmus amylaceus cum decocto ratanhiæ, frictio spirituosa. Altera (27) die: dolor capitis, anxietas, diarrhœa rara, spasmi rarissimi, oculi concavi, facies pallida, dolor sub scrobiculo. Medicamenta interna eadem, et externe sinapismus lateri dextro, vesicans scrobiculo appositi. Tertia (28) die anxietas, diarrhœa eadem, pulsus fere nullus, lingua crusta alba obtecta, debilitatio virium maxima. Cura eadem. — Quarta (29) die: — Anxietas, diarrhœa nulla, pulsus fere nullus, respiratio per nares, lingua rúbra et humida, dolor capitis et pectoris, rubor faciei. Medicamenta omnia respuit.—Quinta (30) die ægrota hora meridiana diem suam obiit.

Inspectio cadaveris instituta est Octobris 31 die hora prima pomeridiana.

Habitus corporis : — Sat robustus , rigiditas musculorum totius corporis , facies livida, oculi aperti , albuginea non rubens.

Aperto specu vertebrali , e dura matre incisa effluxit magna copia seri limpidi ; interna duræ matris superficies coloris rosei ; in postica parte medullæ pone caudam equinam locus pisi magnitudinem referens, ubi mollior substantia; arachnoidea plurimis in locis haud pellucida, anterior superficies medullae in statu incorrupto.

Cavum cerebri : — Vasa duræ matris sanguine multo repleta , arachnoidea variis in locis haud pellucida , sinus omnes multo sanguine turgidi, in substantia cerebri multa puncta nigricantia ; cerebellum sanum.

Cavum pectoris : — Pulmones non collapsi ; lobus superior et medius pulmonis dextri extrinsecus in statu naturali , lobus inferior ex cœruleo ruber , intrinsecus purpureus cum maculis nigris. Sinister extrinsecus ex coccineo-cœruleus , sanguine atro spumoso summopere

impletus et intus purpureus cum maculis nigris maximis. Cor adiposum, ventriculus dexter in tota sua cavitate impletus massa fibrosa albida, quæ nigrescente sanguine coagulato obducta, et firmiter parietibus fere ubicunque adhærebat; hæc massa per ostium venosum, quod fere claudebat, in atrium transiens, hoc etiam impleverat; sanguis coagulatus ablutione assidua detergi non potuit. In ventriculo sinistro sanguis niger, massa fibrosa vermiformis albida, chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens, per ostium venosum in atrium sinistrum et per ostium arteriosum in arteriam aortam transiens; valvulæ et membranæ vasorum majorum sanæ.

Cavum abdominis: — Peritonaeum sanum. Hepar solito majorem molem habebat, vesicula fellea distenta bile viridi. Omnia intestina aëre inflata. Colon ascendens et transversum a situ naturali recedebant. Ventriculus contractus, neque latior quam intestinum ileum. Superficiei externae intestinorum vasa plus minusve variis in locis sanguine injecta. In ventriculi interna membrana hic et illic parvae maculæ rubrae, speciatim versus cardiam. Jejuni membrana interna fusci coloris præcipue in valvulis conniventibus, in ileo variis in locis rubedo et vasa admodum

sanguine injecta, intestini cœci tota superficies ruberrima, et versus valvulam jactura substantiae (ulcusculo similis) fabae magnitudinem referens; cetera intestina crassa in statu naturali. Lien et renes incorrupti. Vesica urinaria contracta, membranae ejus crassiores, interna vero corrugata, nonnihil lotii continens; uterus a sano statu non recedebat.

Jähnichen. Markus.

DECAS II.

XI.

Clerica Parthenonis V.... M.... P.... 50 annos nata, constitutionis debilis, cum totam noctem lectulo matris cholera laborantis assidens, anxie transegisset, hora 6 matutina Octobr. 31 die morbo correpta est. Hic incepit vomitu aquoso decies et diarrhoea simili quindecies repetitis, susurru aurium, vertigine, sensu ponderis sub scrobiculo, pulsu debili. Hora altera præterlapsa ab adveniente medico Laudani liquidi gtt. xxviij. Napthæ vitrioli gtt. xij. ægrotæ propinatæ sunt, et illa in nosocomium regionis urbanæ transvecta est. Ibi symptomata adnotata hæc: — Debilitas virium summa, vomitus frequens, alvi fluxus vehemens, spasmi extremitatum, pulsus fere nullus, anxietas præcordialis, respiratio difficilis, rara, manus et pedes frigidi, lividi, cutis frigida, facies livescens, linqua impura, crusta albida obtecta, dorsum dolens. Ordinatio fuit: — Aetheris sulfurici, Laud. liquid. Syd. āā dr. jj. M. D. S. guttæ xx. omni dimidia hora sumendæ, externe vero vapores acetosi, et frictio spirituosa. Continuatis omnibus symptomatibus intra horam quintam pomeridianam ægrota morte defuncta est.

Inspectio cadaveris instituta est die 1 Nov. hora secunda pomeridiana. Habitus corporis

non admodum robustus, rigiditas extremitatum præcipue inferiorum, livor corporis in variis locis, præsertim pedum et manuum, digiti contracti, cutis palmæ manuum et plantæ pedum corrugata.

Aperto specu vertebrali, e dura matre incisa seri sanguinolenti fere uncia effluxit, interna superficies ejus hic et illic coloris rosei. Vasa piæ matris multo turgebant sanguine, præsertim versus caudam equinam; arachnoidea variis in locis opaca, et maculis albicantibus obsita, in canale vertebrali ipso suffusio sanguinis inter fasciam ligamentosam et cartilagines vertebræ 11mæ dorsalis et omnium vertebrarum lumbalium et spuriarum. Substantia medullæ justo mollior.

Cavum cranii: — Vasa duræ matris multo sanguine repleta, in basi cranii omnes sinus etiam magna copia sanguinis turgentes. Arachnoidea opaca, plurimis in locis fortiter adhærebat piæ matri, hæc vero facillime avelli potuit a cerebro, et vasis multo sanguine injectis stipata erat. In substantia ipsa cerebri major copia punctorum, sed non admodum nigricantium; substantia cerebri emollita circa centrum semiovale; in ventriculis lateralibus seri admodum rubri, sanguinolenti parva copia, præcipue in cornu descendente, ejusdem indolis serum in ventriculo tertio. Plexus choroidei multo sanguine turgidi.

Cavum pectoris: — Pulmones aëre extensi, coloris ex griseo cœrulei cum punctis nigricantibus, sanguine non admodum impleti; pulmo sinister costis fortiter adhærens; interna superficies purpurei coloris cum fuscis punctis.

Cor: — Adiposum, superficies ejus externa sana. In pericardio liquoris copia normalis. In ventriculo dextro sanguis nigerrimus, et massa fibrosa albida flavescens, trabeculis carneis intime adhærens, per ostium venosum in atrium transiens, chordisque tendineis valvularum tricuspidalium firmiter annexa; in ipso atrio ejusdem indolis alia sejuncta massa magis flavescens, vitello ovi non absimilis, totam auriculam implens et ibidem firmiter adhærens. In ventriculo sinistro sanguis nigerrimus et massa ejusdem indolis vermiformis, longe minoris voluminis, præcipue chordis tendineis valvularum mitralium adhærens. Valvulæ tricuspidales leviter rubentes.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu normali. Omentum multa pinguedine gaudens. Intestina in situ normali, cœcum et colon ascendens non admodum aëre distentum, tenuia intenstina rubebant paulisper. Ventriculus collapsus, Colon transversum spatio quatuor pollicum a prima flexura summopere coarctatum (ad diametrum pollicis unius) usque ad flexuram secundam sub liene, parvo spatio aëre distento,

colon descendens iterum (extensione 2 pollic.) constrictum, tunc iterum parvo spatio extentum et iterum usque ad finem suum angustatum. Membrana interna ventriculi in fundo et in pariete postica punctatim rubebat. In duodeno levis rubor; cœtera intestina tenuia præcipue initium jejuni intensius rubebant, in cœco et initio coli maculæ rubræ, in reliqua superficie intestinorum crassorum multo levior rubedo. Intestina magnam copiam humoris aquosi lacti similis continebant. Hepar in statu normali, vesicula fellea non admodum bile viridicante extensa. Pancreas, plexus solaris et lien in statu naturali, pariter ac renes, sed vasa illorum multo sanguine nigro turgebant. Aorta descendens sanguinis nigerrimi plena. Membrana interna aortæ et venæ cavæ in statu normali. Vesica urinaria contracta spatium ovi columbini referens, membranæ ejus crassiores, interna corrugata et sanguine injecta. Uterus in statu normali, minimus quidem.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XII.

Uxor militis, B.... T.... 60 vitae suae annum agens ex domo T.... regionis Jakimanskoy Octobris 30 die 11ma hora noctis, intravit nosocomium cum hisce signis: cum debilitate

maxima, vertigine, dolore capitis et sub scrobiculo cordis, vomitu et diarrhoea, siti magna, anxietate summa, spasmis extremitatum frigidarum et lividarum. Cura interna fuit: pulveres aërophori N° ij. Potionis Riverii, aquæ Menthæ p. āā unc. iij. tinct. opii dr. ß. omni hora cochleatim, et tinctur. opii gutt. LX ter intra diem sumendæ. Potus tepidus. Externa: applicatio hirudinum scrobiculo cordis, synapismorum abdomini et suris, frictio spirituosa totius corporis. Altera (31) die symptomata eadem, et post balneum cutis madida sudore viscido, pulsus parvus, debilis, fere insensibilis, facies hippocratica, urinæ retentio, quam scenam mors sexta hora post meridiem clausit.

Inspectio cadaveris instituta est Novembr. 1 die 3 hora pomeridiana.

Habitus corporis: — Macilentus, superficies corporis livida, rigiditas musculorum præcipue extremitatum inferiorum, cutis digitorum contracta et valde livida.

Aperto canale vertebrali, dura mater, cujus vasa sanguine injecta erant, laxior, ex qua incisa effluxit seri sanguinolenti uncia dimidia; arachnoidea multis in locis opaca, et durae matri adhærens, lamellis parvulis cartilagineis, diametrum seminis sinapeos non superantibus, obsita; substantia medullæ circa 7 vertebram cer-

vicalem, et primam dorsalem ad pollicis unius extensionem emollita.

Cavum cranii : — Vasa duræ matris parum injecta; arachnoidea plurimis in locis opaca, firmiter adhærens piæ matri, in superiori parte hæmisphærii sinistri pia mater, spatio satis lato, rubra a sanguine inter cerebri substantiam et piam matrem extravasato, ceterum ubicunque vasa piae matris in gyris et sulcis cerebri multo sanguine turgida, punctorum in cerebro copia maxima. In ventriculis lateralibus minima copia seri parum sanguinolenti, plexus choroidei laterales non admodum sanguine turgentes, medius autem multo magis. Substantia cerebri in genere normalis.

Cavum pectoris : — Pulmones aëre extensi, emphysematosi, in parte antica coloris griseo-rubescentis, in postica livescentis, interne purpurei cum maculis nigris, magna copia sanguinis spumosi repleti.

Cor. — In pericardio copia liquoris normalis. Superficies cordis externa satis adiposa. In ventriculo sinistro sanguis nigerrimus et ad valvulam semilunarem mediam et mitralem uno pedunculo tenui adhærebat massa in aortam transiens albida, maculis nigris sanguineque congrumato obtecta. In atrio dextro et in auricula massa, membranæ crassæ ad instar investiens totam superficiem utriusque cavitatis, valvulis tricuspida-

libus firmiter adhærens, et in ventriculum dextrum transiens. Valvulæ semilunares rubentes.

Cavum abdominis : — Peritonæum in statu normali, omentum quidquam magis rubebat, intestina omnia aëre distenta, colon transversum arcu versus inferiora jacebat, omnia intestina tenuia valde rubebant, et maculas viridescentes offerebant, color intestini coli viridescens. Interna superficies ventriculi muco ex griseo flavo obducta ; aderant maculæ rubræ in pariete anteriori, et ad cardiam ; omnia intestina rubebant, magis vero duodenum et initium jejuni, finis intestini ilei coloris ex griseo-cinerei (ardoisée) cum maculis rubris, cœcum colore ex griseo viridicante, reliqua superficies intestinorum crassorum etiam colore viridicante, sed minus intenso, et ubique maculæ rubræ præcipue in colo descendenti nigricantis coloris, (melanosin apropinquantes) nec non mollities major membranæ mucosæ, finis vero intestini coli vix rubebat. Hepar volumine magnum, substantia ejus normalis. Vesicula fellea bile viridicante impleta. Pancreas in statu naturali, uti et lien præter substantiam molliorem. Vena portarum sanguinis atri plena. Plexus solaris in statu normali. Vena cava et arteria aorta descendens magna copia sanguinis nigerrimi repletæ. Renes sani, ex arteria renali etiam nigerrimus copiosus sanguis exprimebatur. Vesica urinaria contracta, membrana

ejus interna corrugata, pallida. Uterus in statu naturali, ad latus ejus dextrum excrescentia magnitudine nucis avellanæ.

Jæhnichen. Markus.

XIII.

Rusticus J.... Jl.... constitutionis debilis, ab infantia multis morbis obnoxius, vitae suae anno sexagesimo, Novembris 1 die intravit nosocomium regionis urbanæ sequentibus afflictus symptomatibus: et quidem, magna virium prostratione, anxietate, nausea, vomitu sat frequenti, alvifluxu non tam vehementi, spasmis extremitatum præcipue inferiorum, pulsu vix sensibili, dolore pectoris, respiratione difficili et rara, cuti frigida, lingua crusta alba obtecta, voce rauca, facie pallida, oculis squalidis. Remedium ordinatum fuit: — Aetheris sulphurici laudani liquid. ää gtt. xx. alternis vicibus cum infusi valerianæ unc. vj. potionis Riverii unc. ij. liquoris C. C. succ. dr. ij. cochleatim sumendis quavis dimidia hora; balneum vaporarium ter de die exhibendum, frictio spirituosa, synapismus pectori, clysmus amylaceus cum decocto Ratanhiæ. Ejusdem Nycthemeri hora post mediam noctem tertia elapsa ægrotus diem supremum obiit.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 3 die hora XI matutina.

Habitus corporis externus non admodum robustus, rigiditas extremitatum, magis inferiorum, facies collapsa, albuginea non rubens, manus lividæ præcipue ad apices digitorum, cutis manuum et plantarum pedum corrugata.

Aperto specu vertebrali: Ecchymoses inter fasciam ligamentosam et cartilagines vertebrarum variis in locis, præcipue ultimarum vertebrarum dorsi. Ipsa dura mater rubra, relaxata et aliqua copia laticis impleta, in interna ejus superficie maculæ colore margaritarum (nacre de perles), arachnoidea opaca variis in locis, lamellæ cartilagineæ hic et illic firmiter ei insidentes. Vasa piae matris multo sanguine injecta; substantia ipsa medullæ ad vertebras dorsales 2 et 3tiam emollita ad pollicem $1\frac{1}{2}$ et vasa ipsius substantiæ turgida, parvæ adhæsiones inter duram matrem et arachnoideam; omnia haec in superficie postica (ad processus spinosos), in antica quoque injectio vasorum conspicua.

Cavum cranii: — Vasa durae matris non admodum cruoris plena, laticis sub hac meninge satis magna collectio; arachnoidea opaca, et firmiter adhærens piae matri, quae ipsa facillime a cerebro avelli potuit, lympha albida secundum tractum vasorum effusa; in basi cranii ad unciam dimidiam laticis. Vasa piae matris multo sanguine turgida, pariter atque ipsius substantiæ cerebri, in ventriculis lateralibus laticis serosi

tanta collectio , ut omnia cornua impleta essent, pariter ac ventriculus tertius et quartus. Ceterum substantia cerebri normalis, præter majorem copiam punctorum nigricantium.

Cavum thoracis : — Pericardii accretio ad inferiorem superficiem ventriculi sinistri. Diaphragma visceribus abdominalibus summopere elevatum, et hinc thoracis capacitas angustata. Pulmones non collapsi, sanguine spumoso repleti, extrinsecus coloris ex cœruleo-rubri, intrinsecus colore purpureo cum maculis nigris, adhæsiones inter pulmonem dextrum, et pleuram costalem; in pulmone sinistro in media fere parte ejus superficiei externæ concretio pisi magnitudine calculosa, albida, cretacea, intus sat dura.

Cor : — In ventriculo sinistro sanguis niger et massa fibrosa parva albida, chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens; valvulæ semilunares rubrae. In ventriculo dextro massa fibrosa albida, maculis rubris et nigricantibus obsita, membranæ ad instar planae lineas duas crassae poll. 1. latae, totam ventriculi superficiem implens, firmiter valvulis tricuspidalibus et fundo ventriculi adhærens, fine suo versus arteriam pulmonalem spectans. In atrio dextro ex ipsa auricula prodiens ejusdem structuræ fibrosæ massa crassa et voluminosa triangularis duorum pollicum longitudine et unius cum dimidio

in basi sua, albida et maculis rubris et nigricantibus obsita.

Cavum abdominis: — Peritonæum normali in statu. Omentum valde parvum, pinguedinosum. Intestina in situ naturali. Intestina tenuia extrinsecus rubebant, crassa vero colore naturali. Solum intestinum jejunum aëre distentum. Intestina crassa incipiendo a cœco usque ad dimidiam partem coli transversi non admodum aëre distenta, ab hac parte usque ad secundam flexuram intestinum coarctatum ad pol. 1 $\frac{1}{2}$, ubi per parvum spatium dilatatum, et iterum usque ad flexuram sygmoideam ad pol. 1 angustatum erat.

Interna membrana ventriculi perparum hic et illic rubebat, et muco flavo obducta erat. Intestina tenuia per totum tractum suum maculis rubris roseisque obsita, præcipue vero intestinum ileum. Crassa intestina pallida, præprimis colon descendens, hinc et illinc tamen maculæ aderant rubrae, in fine vero coli transversi spatio spithamæ unius rubor satis intensus. Hepar volumine non magnum; ductus biliares bile repleti, et sanguis niger ex magnis vasis in ipsa substantia discissis prorumpebat; in margine anteriori et media parte superficiei inferioris lobi hepatis sinistri substantia mere cartilaginea, in superiori superficie ejusdem lobi sacculus cartilagineus pisi magnitudine, intus substantia cretacea et caseosa repletus, in extremitate he-

patis dextra in simili sacculo cartilaginoso calculus ejusdem indolis ac in pulmonibus. Vesicula fellea collapsa, parvam copiam bilis continens. Lien in statu normali. Pancreatis vasa nigro sanguine multo repleta. Plexus cœliacus in statu normali. Vesica urinaria valde contracta, membranæ ejus crassiores, interna corrugata, pallida. Aorta arteria sanguine nigro impleta, vena cava quoque. In femorali arteria sanguis niger, in tibiali etiam niger minori in copia, in radiali nullus, in brachiali niger.

Jæhnichen. Markus.

XIV.

Vidua servi aulae N.... J.... annos 58 nata, constitutione debili prædita, morbo affecta est Octobris ultima die hora septima vespertina. — Domi jacens evomuit duodecies materiam aquosam, et multoties alvum similem deposuit. accedentibus eodem tempore vertigine, difficultate audiendi, siti, spasmis pedum. Hora matutina alterius (1 Nov.) diei adiens eam medicus mox propinatis laudani liquidi gtt. xv. cum liquore anod. Hoffm. potuque tepido, et instituta frictione corporis tepida vinoso-acetosa, transferre illam in nosocomium regionis urbanæ jussit. Ibi eam excruciabant symptomata haec :—Debilitas virium summa, anxietas, nausea, et vomitus sat fre-

quens, diarrhoea vehemens, spasmi extremitatum, pulsus erat fere nullus, respiratio lenta, calor cutis imminutus; facies pallida, oculi concavi, lingua crusta alba obducta. Sumebat ægrota Aetheris sulphur. et Laud. liquid. guttas decem quavis dimidia hora, simul adhibitis balneo vaporario, et frictione spirituosa. Hora tertia matutina ægrota mortua est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 3 die, hora pomeridiana 1ma.

Habitus externus macilentus, livor totius corporis præsertim pedum et manuum, rigiditas præprimis extremitatum inferiorum, facies collapsa, albuginea paulisper rubens. Digiti contracti, cutis corrugata præcipue in palma et ad apices digitorum.

Aperto specu vertebrali: Ecchymoses variis in locis speciatim ad vertebras lumbales. Dura mater relaxata, latice extenta, cujus effluxit fere uncia, superficies externa durae matris rubra, interna diversis in locis rubens; vasa piae matris summopere injecta, et cruoris extravasatio sub arachnoidea a 5 dorsali ad primam vertebram lumbalem, ubi larga effusio sanguinis ad pollicis unius longitudinem (versus 5tum par nerv. dorsalium insidet arachnoideæ lamella cartilaginea); ad finem medullæ, ubi effusio cruoris major, substantia ipsa ad pollicis extensionem emollita, vasis multis san-

guine injectis referta. Adhæsiones inter duram matrem et arachnoideam plurimis in locis, quibus ultima quoque pellucidatem suam amiserat.

Cavum cranii : — Vasa durae matris turgida, sub dura matre laticis collectio, arachnoidea opaca plurimis in locis; vasa piae matris multo sanguine impleta, omnes venae præprimis turgebant, arachnoidea cum pia matre concreta, pia mater facillime a substantia cerebri avelli potuerat, latex inter piam matrem et cerebrum sanguinolentus. Puncta in cerebro in majori copia. In ventriculis lateralibus nullus latex, plexus choroidei præcipue medius sanguine injecti. Ceterum substantia cerebri normalis.

Cavum pectoris : — Pulmones adhærentes variis in locis, non collapsi, coloris ab anteriore ex cœruleo purpurei pallidioris, cum nigris parvis maculis, a postica ex coccineo purpurei, interne purpurei cum maculis nigris, sanguine spumoso repleti, magis vero in postica parte.

Cor : — In ventriculo sinistro sanguis niger et massa fibrosa ex auricula ad ipsas valvulas mitrales descendens et chordis tendineis earum adhærens. In ventriculo dextro massa fibrosa valvulis tricuspidalibus et multis in locis chordis tendineis et trabeculis carneis firmiter adhærens, et in arteriam pulmonalem transiens,

cujus valvulæ mitrales rubebant, in auricula dextra massa albida fibrosa fortiter musculis pectinatis adhærens, versus fundum atrii descendens; atrii membrana interna rubra.

Cavum abdominis: — Peritonæum naturali in statu. Omentum maximum et adiposum. Ventriculus vacuus et coloris naturalis, intestinum colon transversum situ suo a naturali recedens, arcu suo versus inferiora dependens; reliqua intestina in situ normali. Intestina omnia, excepto coli transversi initio, rubebant, præcipue autem ileum. Omnia intestina tenuia aëre distenta. Cœcum, colon ascendens et fere dimidia pars transversi, aëre distenta, ab hac parte colon, per spatium spithamæ, constrictum ita, ut ab initio (spatio duorum pollicum) diameter ejus crassitiem digiti vix attingeret, dein pollicis $1\frac{1}{2}$, ab hoc loco usque ad flexuram primam non coarctatum, a qua iterum fere usque ad flexuram sygmoideam ad pollicis unius diametrum angustatum, in flexura ipsa sygmoidea coarctatio digiti minimi diametrum habens (pollicis unius extensione), post quam colon descendens aëre distentum usque ad finem a forma sua consueta non recedebat. Mesocolon transversum rubebat. Membrana ventriculi interna in curvatura ejus minori et ad cardiam maculas rubras ostendebat, rubor observabatur

per totum tractum intestinorum tenuium, præcipue vero versus finem ilei; intestinum cœcum et initium coli ascendentis etiam rubebat, reliqua autem coli ascendentis pars pallida, colon vero transversum et descendens latas maculas rubras hic et illic offerebat. Intestina humore griseo-lactescente repleti erant. Externa membrana aortae ab arteria renali usque ad divisionem in iliacas rubebat, interna vero normalis præter ossificationes nonnullis in locis. Hepar parvum, substantia multo sanguine repleta, vesicula fellea bile veridicante turgida. Renes parvi, et multo sanguine nigro repleti; lien et pancreas in statu normali pariter ac plexus cœliacus. Vesica urinaria summopere collapsa, membranæ ejus crassæ, interna corrugata et pallida, urina nulla. Uterus sanus.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XV.

Uxor militis M.... M..... ex domo mercatoris N. 45 ann. advecta fuit nosocomio regionis Serpuchowskoy Novembris 1 diei hora 10 vespertina, morbi vero sui nona. Symptomata observata haec: — Frigus totius corporis præcipue autem extremitatum inferiorum, facies pallida, oculi concavi, labia livida, respiratio sat libera, vox debilis et rauca, dolor

sub scrobiculo, sitis magna, pulsus fere imperceptibilis, vomitus frequens, alvi fluxus fere continuus, spasmi denique extremitatum; ordinatio fuit: — Acidi sulphur: concentr: guttæ vj. cum poculo aquae comm. sumendæ, item balneo aquoso calido immissa fuit ægrota et perfricata spiritu salis ammoniaci cum tinctura capsici annui, apposita quoque fuerunt: vesicatorium scrobiculo, fomentum tepidum regioni hypogastricæ, rubefacientia suris et injectus clysmus amylaceus additis tincturæ opii crocat. gtt. viij. Post usum balnei manus evaserant paulisper calidiores, pedes vero permanserunt frigidi, nec sudavit ægrota. Hora post mediam noctem secunda invasit illam anxietas summa cum respiratione rara, absentibus vomitu et spasmis, alvi profluvio tamen non cessante. Sexta denique hora matutina, magis quieta quasi facta, sub respiratione vix ac ne vix animadvertenda, diem supremum obiit.

Inspectio cadaveris Novembris 3 die hora pomeridiana 3tia.

Habitus externus: — Macilentus, livor totius corporis præsertim manuum et digitorum, quorum cutis livida, contracta et corrugata, rigiditas musculorum præprimis extremitatum inferiorum. Facies collapsa.

Aperto canale vertebrali : Dura mater latice extenta, extrinsecus hic et illic rubebat, interna ejus superficies cœrulescens, maculis rubris hinc et inde dispersis variegata; arachnoidea nonnullis in locis opaca, et lamellis cartilagineis firmiter ei adhærentibus obsita facillime inflari potuit ; vasa piae matris sanguine injecta ; arachnoidea plurimis in locis leviter adhærebat durae matri. Ceterum substantia medullæ normalis.

Cavum cranii : — Vasa durae matris turgida, ex incisa dura matre laticis parva quantitas effluxit ; arachnoidea adhærens piae matri, quæ a cerebro facillime avelli potuit , et sub qua serum sanguinolentum ubique stillabat ; in substantia cerebri major copia punctorum. In ventriculis lateralibus seri sanguinolenti parva quantitas ; plexus choroidei sanguine turgebant. Ceterum substantia cerebri sana.

Cavum pectoris : — Pulmones adhærentes , extrinsecus ex cœruleo - rubescentes , interne purpureo colore cum maculis nigricantibus , multo sanguine spumoso repleti. In arteria aorta sanguis niger ex parte coagulatus.

Cor : — In atrio sinistro præter magnam copiam sanguinis nigerrimi, ex eodem conflata, massa fibrosa albida-flavescens, maculis rubris

et nigricantibus obsita, fundum atrii implens, chordis tendineis valvularum mitralium firmiter inhærens, et in ipsum ventriculum transiens. In auricula dextra, massa fibrosa, crassæ membranæ ad instar, per atrium in ventriculum dextrum, cujus cavum implebat, descendens, usque ad valvulas semilunares ostii arteriosi protendebatur, et in decursu suo tam valvulis tricuspidalibus quam trabeculis carneis ventriculi et musculis pectinatis auriculæ firmiter adhærebat.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali pariter ac omentum. Ventriculus vacuus coloris naturalis. Intestina in situ normali, tenuia hinc inde aëre distenta (præcipue ileum), nonnihil rubentia. Intestina crassa colorem naturalem habebant. Cœcum, colon ascendens cum tertia parte transversi, aëre inflata, ab hac parte vero usque ad flexuram coli secundam coarctatio aderat, a qua usque ad flexuram sygmoideam intestinum iterum aëre dilatatum, ab ista vero ad 4 digitos transversos denuo angustatum erat. Membrana mucosa ventriculi in pariete anteriori et posteriori maculis rubris variegata, versus pylorum pallida; intestina tenuia per totum tractum suum æqualiter sed non tam intense rubebant. Incipiendo a media parte jejuni ad mediam ilei hinc

et illinc observabantur maculæ longitudinales albescentes, valvulis conniventibus destructis, ulcusculis superficialibus non absimiles, interdum longitudine 2 poll. latitudine dimidium pollicem non superantes, circulo rubriori circumdatæ. In genere autem extenuatio (atrophia) membranarum intestinorum tenuium. Cœcum, colon ascendens et transversum cinerei coloris cum maculis intense rubris præcipue in cœco et initio coli ascendentis, colon vero descendens in statu normali. Hepar magnum coloris-lividioris quam par, intus substantia normalis, sed sanguine multo nigro turgida. Vesicula fellea bilis viridicantis plena. Lien, pancreas et renes in statu normali, arteriæ renales sanguine nigro repletæ. Plexus cœliacus in statu naturali. Aorta descendens sanguine nigro impleta, sic et vena cava, membranæ utriusque in statu naturali. Vesica contracta, membranæ ejus crassiores, interna corrugata, in latere sinistro nonnullas maculas rubescentes offerebat, lotium nullum aderat. Peritonaeum uterum tegens rubebat, pariter ac peritonaeum tubam Fallopii sinistram obvestiens colore ex livido rubro tinctum, in ovario sinistro hydatis. Uterus in statu normali.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XVI.

Liber agricola M. . . . K. . . . . annum vitae suae 39 agens, constitutione corporis debili gaudens, morbo affectus est Novembris 2 die hora post mediam noctem prima, regionis urbanæ in domo Chl. . . . Mox excruciabant illum vomitus aquosus decies similisque alvi fluxus multoties una cum vertigine, susurru aurium, constrictione pectoris, sensu ponderis sub scrobiculo cordis, pulsu debili, et spasmis extremitatum. Post adventum Medici hora 6[ta] matutina et usum laudani liquid. Syd. guttarum xxv. cum guttis naphtæ vitriol. xij. itemque frictionis spirituosæ extremitatum ope scopularum setosarum institutæ, in nosocomium translatus est. — Ibi collocatum tenebant symptomata haec : — Prostratio virium summa, vomitus satis frequens, diarrhoea, spasmi extremitatum, pulsus vix sensibiles, anxietas, respiratio difficilis, lingua crusta alba obducta et cutis frigida. Ordinatio fuit haec : — Aetheris sulphur. laudani liquid. Sydenh. ää dr. jj. quavis dimidia hora gutt. xx. sumendæ, et infusionis Valerianæ unc. iv., potionis Riverii unc. jj. liquoris C. C. succinati dr. jj. cochleatim omni hora usurpandæ, eodemque tempore frictio spirituosa, balneum vaporarium et clysmus amylaceus. Altera die (3) continuantibus vomitu et diarrhoea, pulsu vix sensibili, respiratione tarda, ægrotus vita defunctus est hora 8 matutina.

Inspectio cadaveris Novembris 4 die hora XI matutina.

Habitus corporis : — Robustus, livor fere per totum corpus, rigiditas musculorum, præcipue extremitatum inferiorum, musculi gastro-cnemii summopere turgidi, cutis manuum palmae et pedum plantæ corrugata, apices digitorum plumbei coloris, facies collapsa, oculi concavi, albuginea parum rubens.

Aperto specu vertebrali : — Dura mater, cujus vasa sanguine injecta, plurimis in locis extrinsecus rubens et laxa erat, et sub incisione ejus effluxit laticis sanguinolenti fere uncia. Vasorum ipsius piae matris non magna injectio. In antica facie arachnoidea nonnullis in locis opaca. Substantia medullæ ipsae sana praeter parvum spatium in medio, ubi emollita erat. In postica facie nulla injectio vasorum.

Cavum cranii : — Durae matris vasa summopere turgida, ejusdem sinus multo sanguine repleti, ex incisa dura meninge effluxit parva copia laticis sanguinolenti; intra arachnoideam et piam matrem parva laticis limpidi accumulatio, sulcis cerebri respondens. Arachnoidea plurimis in locis opaca, speciatim in parte a cerebello versus medullam oblongatam et spinalem procedente. Arteriae vertebrales nonnullis in locis ossificationes offerebant. Arteria basilaris eo in

loco, ubi dividitur in cerebri profundam, et cerebelli superiorem, annulum cartilagineum ex membrana interna efformatum habebat; arteriæ tam basilaris, quam vertebrales, multo sanguine venoso repleti erant. Maxima vasorum piae matris injectio erat in ponte Varolii. In ventriculis lateralibus et ceteris parva laticis copia. Substantia cerebri normalis, et non magnam punctorum copiam exhibebat. Plexus choroidei sanguine turgentes.

Cavum pectoris: — Pulmones non adhærentes, coloris anterius fere naturalis, posterius ex cœruleo-rubescentis, intus coloris griseo-lividi, sanguine spumoso non multum repleti.

Cor: — In atrio dextro sanguine nigro circumfusa massa nigra, totum atrium implens, musculis pectinatis firmiter adhærens, sanguini congrumato non absimilis, sed firmior, gelatinosae spissitudinis, et inferius in massam fibrosam albescentem maculis rubris et nigris notatam, membraniformem, transiens (circa 2 poll. long. et poll. 1. lat.) quae chordis tendineis valvularum tricuspidalium, et trabeculis carneis firmiter adhærebat, a qua ejusdem indolis massa latis maculis nigris obsita in ipsam arteriam pulmonalem protendebatur. In atrio sinistro, massa nigra ejusdem indolis ac in dextro, sed multo minor musculis pectinatis, et chordis tendineis valvularum mitralium firmiter annexa,

cujus parvuli ramuli in ipsum ventriculum, nigri sanguinis plenum, descendebant.

Cavum abdominis: — Peritonaeum in statu naturali, coloris viridicantis. Ventriculus parvam copiam aëris continebat, coloris normalis. Omnia intestina tenuia aëre distenta. Colore extrinsecus, superficie contigua parietibus abdominis, viridi, reliqua vero rubescente; cœcum, colon, et major pars transversi aëre valde distenta, quoad colorem ejusdem rationis uti et tenuia. In media parte coli transversi contractio spatio 3 pollicum, et similis coarctatio in ipsa flexura sygmoidea. Interna membrana ventriculi parum rubens et potius in fundo. Duodenum et initium jejuni coloris griseo-cinerei (Ardoisée) cum maculis rubescentibus, reliqua pars intestinorum rubra cum latis maculis viridicantibus; intestina crassa colore ex fusco-rubro imo nigricante (Melanosi simili) cum maculis hinc inde rubentibus. Hepar sat magnum, superficies ejus inferior viridis, substantia normalis. Vesicula fellea collapsa. Trachea et bronchia in statu normali, æsophagus quoque. In aorta sanguinis nigri, ex parte coagulati, magna copia, et massa fibrosa prouti in atrio cordis. Pancreas et renes in statu normali. Lienis substantia mollior. Vesica urinaria lotio distenta, membrana interna ejus integra.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XVII.

Rusticus T. . . . D. . . . . 68 annorum, constitutione corporis subrobusta et temperamento cholerico-sanguineo prædilus, variisque morbis, ut ipsemet professus est, ab infantili aetate obnoxius, hoc morbo Novembris 2 die correptus est tempore noctis. Initium morbi constituebant symptomata haec: vertigo et oppressio pectoris, brevi post diarrhœa, vomitus, et spasmi extremitatum. Nosocomium regionis urbanae intravit cum summa virium prostratione, anxietate, nausea, vomitu frequenti, diarrhœa vehementi, spasmisque extremitatum præcipue inferiorum, pulsu fere nullo, respiratione difficili, lingua frigida, crusta alba obducta, facie pallida, oculis concavis, cuti frigida. — Cura ejus interna constabat ex Aetheris Sulph. laudanî liquidi Sydenh. ää dr. j. omni dimidia hora gutt. xx. et infusionis Valerianæ unc. vj. potionis Riverii unc. ij. liquoris C. C. succinati dr. ij. alternatim quavis dimidia hora cochleatim sumendis. Præterea ordinata sunt: balneum vaporarium ter in die exhibendum, frictio spirituosa, clysmus amylaceus cum decocto Ratanhiæ, sinapismique ad scrobiculum cordis. — Altera (3) die ægrotus hora 3 pomeridiana vita defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 4 die 2 hora pomeridiana.

Habitus corporis : — Macilentus, livor fere per totum corpus, rigiditas musculorum præcipue extremitatum inferiorum, cutis manuum palmae et pedum plantae corrugata, apices digitorum lividi, facies collapsa, oculi collapsi, albuginea parum rubens.

Aperto specu vertebrali :—Dura mater relaxata, et multo latice distenta. Vasa ejus satis injecta, adhæsiones cum arachnoidea plurimis in locis speciatim in parte cervicali, ubi arachnoidea opaca, et maculis albidis obsita, substantia medullæ in facie antica versus 7 vertebram cervicalem emollita coloris ex fusco rubescentis fabae magnitudinis extensione, in genere vero tota medullæ substantia justo magis rubens. In facie postica sanguinis extravasatio inter piam et arachnoideam in parte cervicali et ad initium caudae equinae.

Cavum cranii : — Vasa durae matris multo sanguine injecta, præcipue versus partem posteriorem haemisphæriorum. Sinus durae matris, præprimis longitudinalis, multo sanguine impleti; adhæsiones in nonnullis locis durae matris cum arachnoidea, quae opaca, et piae matri adcreta; vasa piae matris valde turgida; in basi cranii, circa sinum circularem Ridlei, sanguis extravasatus, sub pia matre pedunculos cerebri et pontem Varolii tegente parva

sanguinis effusio ; pia mater facillime a cerebro secedebat, et infra illam laticis minima collectio. Cerebri substantia normalis praeter majorem copiam punctorum. In ventriculis lateralibus latex nullus.

Cavum pectoris : — Pericardium in statu naturali. Cor adiposum. Ecchymosibus similes maculæ, ex cœruleo nigrescentes, latae in superficie externa postica atrii sinistri. In ipso atrio sinistro, praeter multum sanguinem nigrum et coagulatum, massa fibrosa flavescens rubris et nigris maculis obsita, membranæ adinstar (long. 2 pollicum, latitud. 1 pollic. crassit. 2 linearum), chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens, et ramum vermiformem in cavum ventriculi demittens, ex altera parte tenuis fasciae adinstar planae a valvulis mitralibus, (quarum margines liberi rubebant) in aortam progrediens, cujus valvulae semilunares quoque rubebant. In auricula dextra minima particula hujus massae musculis pectinatis firmiter adhærens. In ventriculo dextro ejusdem indolis massa membranæ tenuis in modum majori parte superficiei ejus internae et valvulis tricuspidalibus, quae ipsae rubebant, firmiter annexa. Valvulae semilunares arteriae pulmonalis rubrae.

Pulmones ubique fortiter adcreti colore ex cœruleo rubro cum multis maculis nigris, in-

trinsecus colore purpureo cum atris maculis, sanguine spumoso repleti, non collapsi. Membrana interna tracheae et bronchiorum pariter ac laryngis epiglottidisque rubens. Membrana interna œsophagi parum, magis pharingem tegens rubebat. Arteria aorta et pulmonalis sanguinis nigri plenae.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali, diaphragma multum elevatum. Omentum in statu normali. Ventriculus vacuus, et coloris naturalis. Intestina in situ normali, omnia intestina tenuia aëre distenta, atque rubra, præcipue ileum, cujus finis ex cœruleo-rubro colore cum maculis nigricantibus. Cœcum et colon ascendens cum tertia parte transversi aëre distenta, ab hac parte instestinum contractum erat ad spithamam, et dein iterum circa flexuram sygmoideam. Intestina crassa coloris ex griseo-viridicantis, et in colo descendenti parva rubedo. Ventriculi membrana interna, quae præcipue in sacco cœco maculas rubras offerebat, muco griseo obducta erat. Intestina tenuia toto tractu suo rubra, hinc inde maculis viridicantibus obsita, major rubedo in intestino jejuno, sub finem ilei praeter rubrum colorem observatæ sunt maculae ex fusco-viridescentes; cœcum, et initium coli ascendentis obsitum variis maculis, nempe rubescentibus et nigricantibus, reliqua pars coli ascendentis cum aliqua parte trans-

versi coloris non nihil viridicantis cum nonnullis ramificationibus vasorum: reliqua autem pars coli colore ex fusco-rubro nigricante (Melanosi similis). Lien, pancreas, plexusque solaris in statu normali, nec non hepatis substantia. Vesicula fellea bile atro-viridicante repleta. Arteria aorta et vena cava sanguinis atri plenae, membranae earum internae integrae. Vesica urinaria contracta, membranae ejus crassiores, in interna membrana maculae lividae, lotii minima copia. Peritonaeum pelvim investiens, prouti et mesenterium viridicantis coloris.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XVIII.

Tribuarius J.... S..... annum vitae suae sexagesimum protrahens, morbo affectus est Novembris 3 die hora 3 pomeridiana. Prima symptomata morbi fuerant: cephalalgia vehemens, borborigmi in abdomine, dolor sub scrobiculo, ad vesperam vero vomitus aquosus et diarrhoea similis. Hora vespertina nona nosocomium regionis Novinskoi intravit. Ibi opprimebant eum symptomata haec: — Vomitus et alvifluxus vehementes, dolor sub scrobiculo intolerabilis, cephalalgia, frigus extremitatum, et convulsiones continuae, respiratio dolore

pectoris acuto comitata, lumbago, et absentia urinae. — Cura illius interna constabat ex calomelan. gr. jjj. Gummi arab. et Sachari ää gr. v. itemque laudani liquidi Sydenh. guttis xjj. et olei menthae guttis jv. alternatim quavis hora porrectis. Externe vero adhibita fuerunt : —Balneum tepidum aquosum et vaporarium, frictio spirituosa et synapismus ad scrobiculum. Oriente (6 hora mat.) altera (♃) die aegrotus morte defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 5 die hora XI^ma^ matutina.

Habitus corporis externus : — Robustissimus, musculosus admodum, lividitas totius corporis, praeprimis faciei non collapsae, quae intensa lividitate tincta erat, palpebra sinistra superior a sanguine extravasato tumida et livida, albuginea rubebat. Ex naribus magna copia muci limpidi grisei fœtidi effluebat. Rigiditas musculorum, praecipue extremitatum inferiorum. Musculi gastro-cnemii duri et contracti. Cutis plantae pedum et palmae manuum, praesertim vero digitorum summe contractorum, corrugata.

Aperto specu vertebrali : — Dura mater medullae spinalis in postica facie extrinsecus hic et illic rubebat, ex qua incisa seri aliqua copia effluxit. Arachnoidea maculis opacis obtecta,

et vasa rubra in illa,(dum inflata esset) hic et illic serpentia observata; piae matris vasa summopere turgida, nec non in infima parte ejus cervicali, et versus caudam equinam sub arachnoidea parvae sanguinis extravasationes. Sub prima extravasatione substantia medullae spinalis emollita esse videbatur. Vasa vero ipsius substantiae non admodum sanguine turgida.

Cavum cranii: — Ossa cranii crassiora, vestigia suturarum nulla, adhæsiones firmissimae inter duram matrem et cranium; in extremitate anteriore lobi utriusque, et in tota fere inferiori superficie hæmispherii sinistri inter piam et arachnoideam extravasatio sanguinis. Arachnoidea opaca, præprimis in basi cranii. Vasa piae matris summe turgida. In ventriculis cerebri magna copia laticis valde sanguinolenti, plexus choroidei non admodum injecti, et substantia cerebri normalis, nec tam magna copia punctorum. Sinus durae matris multo cruore impleti.

Cavum thoracis: — Pulmones non collapsi, adhærentes pleurae costali et diaphragmati, sanguine spumoso repleti; externa superficies eorum in anteriore parte colore ex griseo-cœrulescente cum maculis nigris, emphysematosa, posterior vero ex livido-rubescente, intrinsecus et anterius coloris ex griseo-rosei, posterius ex griseo-

rubri. — Cor adiposum, voluminosum. Atrium sinistrum et ventriculus sinister sanguine nigro maxima in copia repleti. In atrio dextro massa fibrosa, albida, musculis pectinatis firmiter adhærens, paulatim in nigricantem, albumini ovi non cocti similem, tandem in massam nigram compactam, glutinosam, abiens. Haec massa magnam atrii partem implebat, inferius valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens, sub forma membranæ crassæ albescentis, maculis nigris obsitae, usque ad apicem ventriculi descendebat, ibidem trabeculis carneis adnexa, ramum ad valvulas semilunares arteriæ pulmonalis, chordis tendineis adfixum, mittebat. Valvulæ semilunares et tricuspidales rubrae.

Cavum abdominis: —Peritonæum et omentum in statu naturali. Ventriculus, cibis repletus, coloris naturalis, intestina in situ normali. Tenuia aëre impleta et rubescentia. Cœcum et dimidia pars coli transversi aëre distenta, ab hac ad flexuram secundam diameter ejus vix pollicem superabat, qualis angustatio in ipsa flexura sygmoidea iterum se offerebat. Color intestinorum crassorum perfecte naturalis. Interna membrana ventriculi in fundo suo rubedinem sat intensam ostendebat, et versus cardiam aderat macula parva rubra. Intestina tenuia per totum tractum suum ex pallido-rosei coloris, versus finem ilei maculæ albidæ circumscriptæ paululum

elevatae. Intestina crassa in statu naturali. Mesenterium pinguedinosum, ast normale. Hepar pallidioris coloris extrinsecus et intrinsecus, vesicula fellea collapsa, bile ex flavo-viridicante parum impleta. Lien in statu normali, substantia tamen mollior videbatur esse. Plexus solaris in statu normali. Aorta et vena cava sanguine nigro repletæ. Vesica urinaria et renes in statu naturali, membrana eorum interna pallida. In omnibus arteriis extremitatum tam inferiorum, quam superiorum, ipsis digitis non exceptis, sanguis niger.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XIX.

Uxor militis L.... J.... 50 annos nata, constitutione corporis robusta gaudens, Novembris 3 die hora 10ma matutina morbo affecta est, cujus prima symptomata erant: diarrhœa vehemens, cephalalgia, dolores abdominis et anxietas summa; hisce excruciata malis (ipsamet) adiit hora XI matutina Nosocomium regionis Novinskoy, ubi anxietate aliquantulum mitigata alvum tamen ægrota involuntarie deponebat, et vomebat multoties, accedentibus simul spasmis extremitatum. Balneis tepidis, prius aquoso, dein vaporario, institutis, venae sectio frustra-tentata est; tunc ordinatum: Calomel. grana V. Gummi Arab. Sacchari albi ää grana vjjj.

quavis altera hora una cum xij. guttis laudani liquidi et olei menthæ guttis iv. sumenda. Symptomata alterius (4) diei erant: alvi fluxus frequens, isque involuntarius, vomitus bis repetitus, remedia vero: — Calomelan. grana jj. cum melle et olei Menth. guttis jjj. cum decocto altheæ. Eodem tempore balnea aquosa duo, vaporarium autem unum, exhibita sunt. Prima post mediam noctem hora mors subsecuta est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 6 die hora X^ma^ matutina.

Habitus corporis medius, extremitates lividescentes, præprimis volae et apices digitorum, cutis palmæ manuum corrugata, facies non collapsa, albuginea non rubens, rigiditas potius extremitatum inferiorum.

Aperto specu vertebrali: — Dura mater rubescens, præcipue versus caudam equinam, in parte cervicali adhæsiones cum arachnoidea, injectio vasorum versus caudam equinam in parte postica; ceterum omnia in statu normali.

Cavum cranii: — Dura mater, cujus vasa sanguine turgebant, cranio pluribus in locis firmissime adhærebat. Sinus omnes sanguine nigro impleti. Arachnoidea opaca plurimis in locis, durae matri firmiter adhærens; in superficie

externa hæmispherii utriusque versus basin cranii sanguinis extravasatio inter piam matrem et arachnoideam. Latex nullus in ventriculis, plexus choroidei etiam non admodum turgebant sanguine; ceterum substantia cerebri normalis.

Cavum thoracis: — Pulmones fere nullibi adhærentes, colore ex cœruleo-griseo in antica parte, in postica ex cœruleo-rubro, non collapsi, sanguine spumoso repleti, intrinsecus colore rubro præprimis versus posticam partem. Cor totum atro sanguine maxime repletum. In superficie postica vasa propria multo sanguine nigro injecta, ad marginem superiorem et anteriorem maculæ ecchymosibus similes. In atrio dextro massa nigra gelatinosa, ex sanguine coagulato conferta, ad parietes atrii undique annexa in fibrosam albidam transiens, valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens, versus valvulas semilunares procedens, quae pariter ac valvulæ tricuspidales rnbrae erant. In ventriculo sinistro præter magnam copiam sanguinis atri, partim coagulati, parva massa albicans ejusdem indolis, chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali, pariter ac omentum. Ventriculus collapsus, coloris naturalis. Intestina in situ normali. Tenuia valde aëre extenta, rubes-

centia, facie sua parietibus abdominis contigua viridicantia. Cœcum et colon ascendens colore naturali neque extensum; aderat angustatio a prima flexura usque ad mediam partem coli transversi, in flexura sygmoidea similis coarctatio. Ventriculi membrana interna, muco tenui ex flavo-griseo obducta, leviter rubebat, in fundo aderat macula ex fusco-rubescens. Intestina tenuia usque ad inferiorem partem jejuni levi roseo colore, ab ista parte vero rubor eorum intensior, et hinc illinc maculæ viridicantes. Versus finem ilei nonnullis in locis maculæ longitudinales dimidiam partem pollicis non superantes, albidiores, quam reliqua superficies, ulcusculis non absimiles. In cœco et colo ascendente maculæ coloris griseo-rubescentis, in reliquo autem tractu ex griseo-cinerei (ardoisée). Lien et hepar in statu normali. Vesica fellea multae bilis atro-viridicantis plena. Renes qnoad substantiam in statu normali, vasa eorum majora sanguine nigro turgida. Vesica urinaria contracta, membranæ crassiores, intrinsecus levi colore roseo tinctae. Uterus extrinsecus in statu naturali, intrinsecus nonnihil rubescens.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XX.

Agricola Ph.... A.... annos 25 natus, constitutione corporis robusta præditus, Novembris 1 die et hora prima noctis in domo B.... morbo correptus est, qui incepit vomitu non tam vehementi, diarrhoea fere continua, prostratione virium, propensione ad delirium, et spasmis extremitatum, præcipue inferiorum. Post aditum Medici statim in Nosocomium regionis urbanae translatus est. Ibi observata symptomata haec: — delirium et somnolentia, pulsus plenus satque frequens, facies rubra, oculi rubentes, spasmi extremitatum, responsus quæstionibus minime quadrantes, prostratio virium absentibus tamen vomitu et diarrhoea. Ordinatio: Venaesectio ad libram j., decoctum Alth. cum nitri dr. jj., balneum vaporarium, synapismi suris et plantis pedum, glacies capiti ac vesicans nuchae, superimpositi. Altera (2) die delirium et somnolentia permanebant, pulsus erat frequens, et sat plenus, respiratio libera. Ordinatus erat pulvis ex calomelan: gran. jj. et Saccharo compositus, et unaquaque hora sumendus, venæsectio repetita erat ad libram unam et semis, pariter ac synapismi et vesicans. Tertia (3) die opprimebant aegrotum delirium, et alvifluxus liquidus, biliosomucosus, fœtidusque, multoties repetitus. Omisso pulvere

decoctum prima die præscriptum propinabatur. — Die (4) quarta aegrotus in meliori statu esse videbatur, sed continuante adhuc delirio praescriptum: — Infus. ex flor. Arnicae dr. j. unc. vj. cum nitri dr. jj. cochleari uno omni hor. sumendo, item appositae sanguisugae temporibus retroque aures, et fomentatio frigida capiti. Quinta (5) die aegrotus in statu pessimo, pulsu fere nullo, delirio profundo, non cessante, mortuus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 6 die hora XI matutina.

Habitus corporis — macilentus, color corporis potius flavescens quam lividus, manus non lividae, cutis digitorum et palmarnm non corrugata, facies non collapsa, albuginea non rubens, crusta exanthematica circa labia nigrescens, suprema pars brachii dextri tumida, et latam; sanguine partim liquido, partim coagulato, repletam, sugillationem offerebat. Rigiditas artuum parva, et potius crurum.

Aperto specu vertebrali: — Durae matris medullae spinalis sanguine injectio nulla, relaxatio versus caudam equinam, ubi et laticis sanguinolenti aliqua collectio; in parte postica arachnoidea non tam facile inflari potuit, et opaca hic et illic erat; injectio satis magna vasorum piae matris versus caudam equinam;

in facie antica omnia in statu naturali, pariter ac substantia medullae.

Cavum cranii : — Dura mater aspectum naturalem habebat, elevata dura matre in haemispherio sinistro, in media ac superiore parte, extravasatio sanguinis rubri inter arachnoideam et duram matrem, et in eodem loco haemispherii dextri similis extravasatio; in sinu longitudinali sanguis atro-rubescens coagulatus, et cum granulis albidis, mollibus permixtus, tam cohaerentem massam vermiformem exhibens, ut ea, non abrupta, facile e sinu extrahi potuerit. Arachnoidea opaca, et piae matri fortiter adhaerens. Inter arachnoideam et piam matrem, cujus vasa multo sanguine turgida, in tota fere superficie loborum posteriorum cerebri, magna sanguinis extravasatio. — Sinus durae matris reliqui non admodum sanguine repleti, majores vero ejusdem indolis coagulato sanguine, cum albida quadam substantia, intermixto. In ventriculis lateralibus parva laticis limpidi copia. Plexus choroidei solito pallidiores, et vesiculis hydatidibus non absimilibus, obsiti.

Cavum pectoris : — Pulmones non collapsi, coloris in parte antica ex griseo-rubescentis, in parte postica ex cœruleo-rubescentis, intrinsecus et anterius ejusdem coloris, uti extrinsecus, posterius autem ex fusco-rubescentis, sanguine multo spumoso repleti. Sinister pulmo adhae-

rens pleurae costali et diaphragmati. Larynx, trachea et bronchia in statu normali. Cor externe livens, (livor atriorum dependebat a massa in iis contenta), et vasa ejus sanguine turgida. — In pericardio ad unc. β liquoris flavescentis, limpidi. In ventriculo sinistro sanguis ater; in atrio sinistro massa gelatinosae indolis nigricans, hinc inde rubescens, auriculae firmiter inhaerens, et ramum ad venam pulmonalem, alterum vero in ventriculum mittens, qui chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhaerebat. In atrio dextro ejusdem indolis massa totum fere cavum ejns implens, et in auriculam progrediens, et in ventriculum dextrum transiens, ostium venosum fere obstruens, valvulis tricuspidalibus, et trabeculis carneis firmiter adhaerens, dein in massam fibrosam albidam membraniformem (poll. $1\frac{1}{2}$ lat. et lin. $1\frac{1}{2}$ crass.) maculis rubris et nigris obsitam, abiens, in arteriam pulmonalem ascendens, et multis in locis trabeculis carneis firmiter adhaerens.

Cavum abdominis: — Peritonaeum et omentum in statu naturali. Intestina parum aëre distenta, coloris uniformis griseo-viridicantis, ventriculus quidquam coloris pallidioris. Finis coli transversi et usque ad flexuram sygmoideam diametri minoris, quam reliqua intestina crassa. Interna membrana ventriculi circa cardiam et in sacco

coeco ex fusco rubri coloris, reliqua pars colore ex flavo-viridicante cum maculis rubris. Intestinum duodenum coloris ex fusco-rubri et muco ex fusco-flavescente, qui et in reliquo tractu tenuium intestinorum observabatur, obductum erat. Intestinum jejunum coloris griseo-viridicantis cum ramificationibus vasorum rubris. Ileum rubebat, et versus finem suum maculas latas ruberrimas offerebat. Cœcum et initium coli coloris griseo-viridicantis cum maculis ex fusco-rubris, colon ascendens et transversum coloris pallidioris, reliqua vero pars coli coloris ex griseo-cinerei (ardoisée) cum rubris maculis versus finem intensioris coloris. Hepar maximae molis, color et substantia ejus normalis, sanguine liquido tamen copiose refertum. Vesica fellea bile ex atro viridicante valde extenta. Ductus omnes in statu naturali. Pancreas, et plexus solaris a statu consueto non recedebant. Lien voluminosum, sed in statu naturali, pariter ac renes. — In aorta sanguis coagulatus, sanguine liquido non tam nigro, quam in aliis, circumfusus. In vena cava sanguis ater, etiam coagulatus. Vesica urinaria contracta, membranae ejus cassiores, interna corrugata, ex cœruleo-rubens.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

DECAS III.

XXI.

Femina libera E. . . . A. . . . annum vitae suae 28um agens in nosocomium regionis Joakimansky Novembris 1 die advecta fuit perfecta sensuum abolitione detenta. Ibi post usum balnei tepidi, vaporum acetosorum, et synapismorum scrobiculo surisque appositorum ægrota conscientiam suimetipsius et loquelam recuperavit, et per plures jam dies se alvi fluxu laborasse professa est. Symptomata vero erant: tota superficies corporis aspera et frigida, lingua alba frigidaque, pulsus perparvus, debilis ac fere insensibilis, diarrhœa et vomitus, dolor capitis et vertigo, anxietas præcordialis, et spasmi extremitatum. Ordinatus erat pulvis ex calomelan. granis jj. et sacchari gr. x. compositus, omni bihorio sumendus. Die (2) altera vomitus, diarrhœa et spasmi cessavere. Præscripta potio Riverii et aqua melissæ ää unc. jjj. additis liquoris C. C. succinati gutt. xx. omni hora cochleatim exhibenda. Tertia die (3) diarrhœa eaque vehemens denuo apparuit junctis delirio, clamore fere perpetuo, et prostratione virium summa. Cura eadem. — Quarta die (4) status idem. Ordinatæ sunt tinct. opii guttae x. omni dimidia hora sumendæ. Symptomata quintæ diei (5) erant status soporosus,

debilitas et frigus totius corporis, diarrhoea et excretio lotii foetidi involuntaria. Præscriptum remedium constabat ex decocti salep. unciis vj. aquæ menthæ p. unc. j. et laud. liquid. Sydenh. guttis xxx. omni hora cochleatim sumendum, et moschi granis jv. cum saccharo quavis hora exhibendis. Eadem die ægrota mortua est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 6[to] die hora I[ma] pomeridiana.

Habitus corporis torosus, rigiditas musculorum extremitatum inferiorum et superiorum, livor manuum atque pedum, cutis paululum corrugata in palma manuum, facies non collapsa, oculi non rubentes.

Aperto canale spinali: dura mater medullæ spinalis in statu normali, adhæsiones arachnoideae nonnullis in locis. Arachnoidea hic et illic opaca, difficulter inflari potuit. Vasa piae matris in parte superiori portionis dorsalis et ad caudam equinam injecta, in ultimo loco substantia ipsa medullæ emollita, et rubens. In facie antica vero medullae, in parte cervicali et suprema dorsali rubedo leviori extravasationi cruoris similis. Reliqua in statu normali.

Cavum cranii: Dura mater firmissime cranio accreta, vasa ejus valde injecta. Arachnoidea hic et illic opaca, piae matris vasa non

admodum injecta. In ventriculis cerebri nulla laticis collectio. Ceterum substantia cerebri sana.

Cavum pectoris: In pericardio liquoris pericardii minima copia. In superficie externa cordis nil peculiare. In atrio dextro in fundo massa fibrosa, membraniformis, tenuis, albida, quae ramum ad ventriculum mittebat, in ventriculo ipso massa albida fibrosa, valvulis tricuspidalibus et parietibus ventriculi firmiter adhaerens, usque ad apicem protensa et in arteriam pulmonalem ramo vermiformi transiens, qui secundum divisiones arteriae pulmonalis in duos ramos divisus erat. In atrio sinistro praeter sanguinis nigri magnam copiam similis massa membraniformis valvulis mitralibus firmiter adhaerens, et in ipsam aortam progrediens. Pulmones non collapsi, (dexter justo minor, ad diaphragma accretus), extrinsecus colore ex livido rubescente, in antica superficie paululum pallidiore, intrinsecus colore purpureo, in antica parte pallidiore; sanguinis spumosi pleni.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu normali, omentum breve, pinguedinosum. Ventriculus coloris normalis, vacuus, contractus in sacco cœco ad pollic. $2\frac{1}{2}$. Intestina in situ normali, tenuia hinc inde aëre distenta, colore ex griseo-rubescente. Cœcum et initium coli

ascendentis aëre distentum. In medio coli ascendentis angustatio ad diametrum poll. 1 (spatio 2 pollic.) a quo loco colon per parvum spatium aëre distentum, iterum per totum suum tractum coarctatum erat, ita, ut colon transversum digiti minimi vix crassitiem superaret. Interna membrana ventriculi excepto pyloro in tota superficie rubebat, duodenum sat intensam rubedinem offerebat, et muco ex flavo-viridicante obductum erat, qui mucus et in jeiuno nonnullis in locis observabatur. Jejunum solummodo versus finem suum majorem rubedinem ostendebat, reliquus tenuium tractus levissima rubedine tinctus, in ileo maculæ viridicantes. Crassa hinc inde solummodo maculas rubescentes habebant. Hepatis substantia sana, vesicula fellea bile viridi impleta, accretio lobi dextri cum diaphragmate. Lien, pariter ac pancreas in statu normali. In arteria aorta descendente et vena cava sanguis niger, in ultima coagulatus. Renes et uterus in statu normali, hydatides in fine tubae Fallopianæ. Vesica collapsa, membranæ ejus crassiores, interna corrugata et ex cœruleo-rubens, loco urinae muci parva copia.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XXII.

Ancilla A.... B.... annos 12 nata, constitutione corporis debili, morbo affecta est Novembris 4 die hora 9na matutina. Prima symptomata morbi erant, vomitus quater, et alvifluxus quinquies repetiti cum cardialgia vehementissima. In nosocomium regionis Miasnizky translatam detinebant symptomata haec: — Aspectus desperatus, decubitus quam maxime inquietus, oculi retracti, facies Hippocratica, aphonia, respiratio difficilis, sitis vehemens, extremitates frigidæ, totum corpus sudore frigido madidum, convulsiones extremitatum frequentes et vehementissimæ, pulsus nullus, diarrhoea et vomitus continui. Hora 4 post mediam noctem mortua est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 6 die hora III pomeridiana.

Habitus corporis: — non macilentus, rigiditas extremitatum inferiorum, apices digitorum lividi, cutis palmæ manuum parum corrugata, facies non collapsa, albuginea non rubens.

Aperto specu vertebrali: —In medullæ spinali utraque facie levis vasorum injectio versus caudam equinam. Ceterum omnia in statu normali.

Cavum cranii: — Durae matris vasa vix injecta, in sinu longitudinali sanguis ex parte coagulatus. Sinus alii cerebri multo sanguine

impleti; arachnoidea ubique firmiter adhærebat piae matri, nec inflari potuit, diversisque in locis opaca erat. In superficie externa lobi posterioris dextri sub media ejus parte sanguinis macula extravasati inter piam matrem et cerebrum, quales maculæ, sed longe minores, in nonnullis aliis locis hæmispheriorum observabantur. Substantia cerebri sana.

Cavum pectoris: — Pulmones non collapsi, pleurae costali accreti, et levis adhæsio dextri pulmonis ad diaphragma. Extrinsecus coloris ex cœruleo-rubri, pallidioris in antica, intensioris in postica parte, intrinsecus vero ejusdem ac extrinsecus, parva copia sanguinis spumosi repleti. Cor: — In atrio dextro massa nigra gelatinosæ indolis satis firma, cum macula albicante fibrosa, totum atrium implens, sed non adhærens. In ventriculo dextro massa ejusdem indolis, valvulis tricuspidalibus et trabeculis carneis firmiter adhærens. Valvulæ semilunares rubrae. In atrio sinistro sanguinis nigri magna copia. In ventriculo sinistro massa fibrosa albida trabeculis carneis adhærens, superius in nigram chordis tendineis valvularum mitralium adhærentem transiens, et ramum ad aortam mittens, cujus valvulæ semilunares rubrae. — Larynx et trachea in statu normali. Membrana ejus interna pallida cum paucis hinc inde vasorum ramificationibus.

Cavum abdominis: — Peritonæum pariter ac omentum in statu naturali. Ventriculus ex parte impletus albicante liquore, coloris naturalis. Sitns intestinorum normalis. Intestina tenuia aëre impleta, coloris fere naturalis, paulisper rubescentis. Intestina crassa coloris naturalis, neque distenta aëre. Interna membrana ventriculi, præter quod paulisper rubebat circa cardiam, in statu naturali, pariter ac duodenum. Reliqua intestina tenuia minimam rubedinem ostendebant, tamen in intestino ileo maculae rubescentes observabantnr oblongae diversae magnitudinis, in ipsa superficie exsurgentes, inæquales, (ac si glandulæ et folliculi mucosi turgidiores essent.). Intestina crassa in statu normali, versus finem eorum vero maculae aliquot rubrae. — Hepar, substantia et colore naturali, nigro sanguine repletum. Ductus biliferi in statu normali. Vesicula fellea bile ex fusco-viridi turgida. Lien et pancreas in statu normali, pariter renes, quorum vasa majora sanguine nigro turgida. In aorta descendenti sanguis niger ex parte coagulatus. Vena cava eodem sanguine impleta. Plexus cœliacus in statu naturali. Vesica urinaria contracta, membranæ ejus crassiores, interna corrugata.—Uterus et ovaria in statu naturali.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XXIII.

Civis Mosquensis A.... J.... L.... annos 45 natus, constitutione corporis debili gaudens, morbo correptus est Novembris 3 die hora secunda post mediam noctem in domo U.... e regione urbana. Prima morbi symptomata erant: alvi fluxus multoties repetitus, absente tamen vomitu, vertigo, anxietas, ponderis sensus in pectore et sub scrobiculo, spasmique extremitatum. — Adiens illum Medicus propinatis ei laudani liquidi Sydenh. gutt.. xxv et naphthæ vitrioli guttis x. transvehi illum in nosocomium jussit. Ibi adnotata symptomata haec: — Prostratio virium, dolor capitis et sub scrobiculo, anxietas, nausea absque vomitu, diarrhoea vehemens, spasmi extremitatum, lingua crusta alba obtecta, facies pallida, pulsus debilis et parvus, respiratio non tam libera. Ordinatio erat: — Rp. ætheris sulphur. laudani liquidi Sydenh. ää dr. jj. M. D. S. omni dimidia hora gutt. xx. balneum vaporarium, frictio spirituosa, èt synapismus ad scrobiculum cordis. Die (4) altera respiratio erat difficilis, et valde rara, pulsus debilis et parvus, diarrhoea sat frequens, lingua crusta ex albo-flava obtecta. Therapia: Rp. infusionis valerianæ unc. vj. extracti ratanhiæ dr. j. liquoris cornu cervi succinati dr. jj. M. D. S. omni dimidia hora

cochlear. mens. unum. — Synapismus pectori superimpositus. — Tertia (5) die ægrotus magis magisque in pejus ruebat, pulsus erat fere nullus, et respiratio difficilis. Denique tempore noctis ægrotus mortuus est.

Inspectio cadaveris institusa est Novembris 7 die hora XI matutina.

Habitus corporis medius, rigiditas extremitatum inferiorum magna, tota superficies corporis livescens, præprimis digiti lividi, quorum cutis, pariter ac palmæ manuum, et plantæ pedum corrugata. Facies collapsa, oculi concavi, albuginea non rubens.

Aperto specu vertebrali: — Dura mater in statu naturali, qua incisa effluxit seri sanguinolenti fere uncia; arachnoidea in statu normali, sat facilis inflatu, versus caudam equinam trunci majores vasorum piae matris sanguine turgidi; in antica facie præter minimas adhæsiones arachnoideæ cum pia matre nihil peculiare aderat. Substantia medullæ spinalis normalis.

Cavum cranii: Dura mater in statu normali. Sinus longitudinalis vacuus; in parte media superficiei externæ hæmispherii dexri minima sanguinis extravasatio inter arachnoideam et piam matrem. Arachnoidea plurimis in locis opaca, vasa piae matris satis injecta, pia ma-

ter facilis avulsu a cerebro , inter piam matrem et cerebrum laticis parva collectio in sulcis. In ventriculis lateralibus nihil peculiare ; plexus choroidei , speciatim medius , intense rubentes; substantia cerebri normalis. Sinus ceteri non multum sanguinis liquidi continebant.

Cavum thoracis : — Pulmones derelinquunt spatium sat conspicuum inter parietem anteriorem pectoris , et superficiem suam anticam, uterque pulmo pleuræ costali fortiter adhærens , extrinsecus colore ex cœruleo-livescente, intrinsecus et superius purpureo cum maculis nigricantibus , inferius autem ex coccineo purpureo, multo sanguine atro et spumoso repletus ; suprema pars pulmonis dextri hepatisationem offerebat colore ex fusco viridicante. Interna membrana laryngis, tracheæ et bronchiorum intense rubra.

Cor : — In pericardio parva quantitas liquoris. Cor ipsum flaccidum. In superficie inferiori secundum tractum vasorum propriorum cordis maculæ plures ecchymosibus similes. Totum cor sanguine atro repletum. In atrio dextro ex ipsa auricula massa fibrosa prodiens albida membraniformis, maculis nigris et rubris obsita, (lineam crassa), usque ad apicem ventriculi descendens, et in tractu suo tam chordis tendineis valvularum tricuspidalium, quam trabe-

culis carneis multis in locis firmiter adhærens; ejusdem indolis massa, sed crassior, per totum ventriculum extensa, plurimis in locis parietibus ejus adhærens, et ramum ad arteriam pulmonalem mittens, qui deinde in massam nigram, sanguini coagulato similem, per tractum arteriæ usque ad divisionem eius extendebatur. Valvulæ semilunares arteriæ pulmonalis rubentes. In atrio sinistro ejusdem indolis massa, sed crassior, ab auricula incipiens, usque ad ostium venosum progrediens, et ramos una facie nigros, altera albescentes in duas venas pulmonales mittens, chordis tendineis valvularum mitralium firmiter adhærens, et ramo, in arteriam aortam usque ad arcum, vermiformi, crasso, albido, protensa. Arteriæ aortæ membrana interna, in initio et in arcu rubens, externa membrana aortæ in parte thoracica quoque rubebat et in tela cellulosa eam ambiente rubedo major, et maculæ nigricantes ecchymosibus similes observabantur. Aorta ipsa sanguine nigro et ex parte coagulato repleta, pariter ac vena cava.

Cavum abdominis: —Peritonæum et omentum in statu naturali. — Hepar pallidioris consueto coloris, substantia ejus normalis, sanguine tamen minus, quam in aliis impleta. Vesicula fellea bile ex atro flavescente impleta. Ventriculus aëre distentus, colore naturali, intesti-

norum situs normalis; omnia intestina tenuia aëre distenta, colore non nihil rubescente cum maculis viridicantibus. Ileum autem colore ex griseo-livido, cum maculis rubis. Intestina crassa coloris non nihil viridicantis, et ad dimidiam coli transversi partem aëre distenta, a qua usque ad mediam partem *flexuræ* sygmoideæ diameter eorum paulatim angustatus, ita ut hic non superaret pollicem. Interna membrana ventriculi, praeter perpaucas vasorum ramificationes, colorem naturalem habebat, muco tenui flavo obtecta. Intestina tenuia ad mediam fere ilei partem rubedinem roseam cum maculis viridicantibus latis offerebant, ab hac vero rubedo intensior, et tandem maxima cum maculis fuscis supra valvulas conniventes extensis, quae maculae vestigia harum valvularum fere deletarum constituebant, sub finem vero ilei color in fusco viridicantem mutatus cum maculis rotundis rubris, et nonnullis in medio fuscioribus, minimaque membranæ internæ exulceratione. In cœco et colo ascendente rubedo intensa, et maculæ transversim sitae, in quarum superficie ex flavo grisescente membrana interna emollita scalpendo facillime secedebat. Colon transversum, excepto fine ejus, colore viridicante, deinde griseo cum maculis parvis rubris, finis autem ejus intense rubebat, reliqua vero pars crassorum colore grisescente cum maculis parvis

rubris. Lien minimum, flaccidum, substantia ejus emollita. Renes in statu naturali, eorum vasa majora multo sanguine turgida. Vesica urinaria ad magnitudinem ovi gallinacei contracta, urinæ cum muco mixtæ fere unciam dimidiam continebat, membrana interna levissime rubens, et corrugata erat.

Jæhnicheu. Markus. Rinsky.

XXIV.

Rusticus P. . . . V. . . . M. . . . S. . . . annos 55 natus, constitutione corporis debili præditus, morbo affectus est in domo mercatoris M. . . . Novembris 5 die hora VII pomeridiana. Prima morbi symptomata erant vomitus, quo ejiciebatur ab initio cibus, postea vero mucus, accedebant brevi post alvi fluxus multoties repetitus, spasmique extremitatum. Post aditum medici transvectus est in nosocomium sectionis urbanæ. Ibi adnotata symptomata haec: summa virium prostratio, anxietas, nausea et vomitus, diarrhoea vehemens, spasmi extremitatum præprimis inferiorum, pulsus fere nullus, respiratio non tam libera, lingua crusta alba obtecta, facies pallida, oculi concavi, manus et pedes frigidi. Ordinatio erat: Aetheris sulphur. laud. liq. Syd. ää dr. jj. quavis dimidia hora gtt. xx. balneum vaporarium, frictio spirituosa et clys-

mus amylaceus cum decocto ratanhiæ. Tandem hora tertia noctis ægrotus mortuus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 7 die hora pomeridiana secunda.

Habitus corporis macilentus, rigiditas præprimis extremitatum inferiorum, tota corporis superficies livescens, digitorum summe contractorum apices intense lividi, cutis palmæ manuum corrugata, facies collapsa, oculi versus angulum internum rubentes.

Aperto specu vertebrali: — Dura mater in statu normali, parva quantitas laticis sub incisione effluxit; arachnoidea facilis inflatu, sed hic et illic opaca, multæ lamellæ cartilagineæ albidæ diversa magnitudine (ad lentem usque) firmiter adhærentes faciei posticae arachnoideæ insidebant; vasa piae matris non multum sanguine injecta; medullæ substantia circa primum et secundum par nervorum dorsalium et præsertim circa septimum consueto mollior.

Cavum cranii: — Vasa durae matris multo sanguine turgida; arachnoidea plurimis in locis opaca; vasa piae matris satis injecta; in parte inferiore lobi posterioris cerebri utriusque lateris maculæ ex sanguine extravasato sub piam matrem, quae facilis avulsu erat; puncta nigricantia majori in copia. In ventriculis cerebri parva copia laticis. Ceterum substantia cerebri normalis.

Cavum thoracis : —Larynx et trachea in statu naturali. Pulmones non collapsi colore ex cœruleo-roseo, intrinsecus colore purpureo cum maculis nigricantibus, qui color anterius pallidior erat. Nullæ aderant adhæsiones pulmonum nisi inter lobos ipsos. Vasa cordis propria valde turgida. In atrio dextro massa gelatiniformis nigra, floccis albicantibus membraniformibus obducta, totam cavitatem atrii implens et in ventriculum transiens, hic, valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens, toto fere ventriculi cavo diffusa et versus ostium arteriosum protensa erat. In ventriculo et atrio sinistro sanguinis nigri coagulati magna copia.

Cavum abdominis : — Peritonæum in statu normali. Hepar in statu naturali, vesicula fellea non multum bilis ex atro-flavescentis continebat. Ventriculus vacuus et nonnihil coarctatus. Omentum coloris naturalis. Intestina in situ normali; intestina tenuia parum aëris continebant, et parum rubebant, cœcum et dimidia pars coli ascendentis vix duorum pollicum diametrum referebat, reliqua vero coli pars, exceptis flexura secunda, et sygmoidea atque fine coli, ubi per spatium pollicis, angustationes (1 poll. diametri) aderant, in statu naturali et aëre extenta. Ventriculi interna membrana in fundo suo parvas maculas rubras offerebat, totus tractus intestino-

rum tenuium colore pallido-roseo, sub finem vero ilei nonnullis in locis colore intensiore. In intestinis crassis, quamvis pallidior ingenere membrana interna præsertim versus finem, tamen multis maculis roseis ab initio obsita erat. Pancreas in statu naturali. Plexus solaris nil peculiare offerebat. Lienis substantia emollita. Renes in statu naturali. In aorta descendente sanguis niger, in vena cava quoque. Vesica contracta, sed membranæ non crassiores.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XXV.

Civis Moskvensis B. . . . . D. . . . . . annos 50 natus, constitutione corporis robusta præditus, morbo correptus est Novembris 7 die hora IX matutina in domo Chl. . . . e sectione Urbana.

Prima morbi symptomata erant : — Vomitus et alvifluxus multoties repetiti, vertigo, sensus oppressionis in pectore, et ponderis sub scrobiculo, spasmi extremitatum, et pulsus debilis. Mox adveniens Medicus porrectis laudani liquidi S. guttis xxv. in Nosocomium trasvehi eum jussit. Ibidem collocatum tenebant symptomata haec : debilitas virium, anxietas, nausea et vomitus frequens, diarrhœa vehemens, spasmi extremitatum, præprimis inferiorum, pulsus nullus, respiratio difficilis,

calor cutis imminutus, facies pallida, lingua crusta alba obducta. Ordinatio erat. Rp. Aether. sulphurici, laudani liquidi ää dr. jj. M. D. S. quavis dimidia hora guttæ xx. sumendæ. Balnea vaporaria quatuor vicibus, frictio spirituosa, et hirudines ad abdomen. Altera (8) die ægrotus magis magisque in pejus ruit, aderant anxietas maxima, respiratio difficilis, pulsus nullus. Cura interna erat: Rp. Aetheris sulphur. tincturæ castorei, liquoris cornu cervi succin. ää dr. jj. M. D. S. Omni quadrante hora gutt. xx. Externa: balneum vaporarium, frictio spirituosa, et synapismi brachiis, suris, plantisque pedum superimpositi. Hora denique 7 pomeridiana ægrotus morte defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 10 die hora XI matutina.

Habitus corporis externus: robustus, musculosus; lividitas totius corporis, rigiditas musculorum extremitatum superiorum, et præsertim inferiorum, facies collapsa, oculi retracti, aperti, non rubentes, digiti contracti ad apicem lividi, cutis in iis solis corrugata. Ex ore effluit humor ex griseo viridicans.

Aperto specu vertebrali: — Dura mater magna copia laticis extenta, in parte postica regionis cervicalis adhæsiones nonnullæ cum arachnoidea; arachnoidea opaca, et magno numero lamellarum

cartilaginearum obsita, præprimis a media ejus parte per totam reliquam superficiem. Vasa piae matris summopere injecta præsertim versus initium caudæ equinæ. In antica parte in eodem loco injectio venarum potius, sed minor, quam in postica. Ceterum substantia medullæ integra.

Cavum cranii: — Vasa durae matris non multum injecta, in sinu longitudinali sanguis fluidus, arachnoidea piae matri firmiter adhærens, quae simul cum ea facile a cerebro avelli potuit; sinus omnes multo sanguine impleti; vasa piae matris summopere injecta, punctorum in substantia cerebri major consueto copia, in ventriculis lateralibus parva collectio seri sanguinolenti. Plexus choroidei sat rubri, arteria basilaris sanguine nigro repleta.

Cavum thoracis: — Uterque pulmo costis et diaphragmati accretus, collapsus, coloris anterius pallidi griseo-rosei, posterius rubrioris, intrinsecus et anterius coloris ex pallido-rubescentis cum maculis nigricantibus, posterius autem purpurei, substantia pulmonum naturalis. Laryngis et tracheæ membrana interna paulullum rubens.

Cor. In utroque ventriculo sanguis niger, in atrio dextro ex ipsa auricula prodibat massa fibrosa, membraniformis, albida, maculis nigris

et rubescentibus variegata, ad apicem usque ventriculi descendens, musculis pectinatis, valvulis tricuspidalibus, et trabeculis carneis firmiter adhærens. Ejusdem indolis massa, sed multo crassior cum priori cohærens, in arteriam pulmonalem transibat. Valvulæ semilunares rubrae. In atrio sinistro ejusdem indolis massa valvulis mitralibus adhærens et ramum vermiformem in ventriculum mittens. Valvulæ semilunares arteriae aortae rubrae erant. Arteria aorta sanguinis nigri plena.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali. Omentum minima copia pinguedinis gaudens. Hepar diaphragmati fortiter accretum, lobus ejus sinister minimus, durior, et tuberculis refertus, ceterum in lobo dextro substantia normalis. Vesicula fellea bile ex atro-flavescente parum impleta. Ventriculus aëre distentus. Intestina in situ normali. Tenuia parum aëris continebant, parum rubebant, crassa coloris grisescentis, aëre nonnihil distenta; nullae tamen angustationes aderant. Superficies interna ventriculi muco flavescente obtecta vix ullam rubedinem offerebat, intestina tenuia: Duodenum et jejunum pallido-rosei coloris, ileum magis rubebat a ramificationibus vasorum manifestis, versus finem ilei autem maculatim compacta rubedo non ultra pollicem larga. Cœcum, colon ascendens et transversum colore ex griseo-

rubescente, hinc et inde viridicante, reliqua pars crassorum ab initio leviter rubens, deinde naturalis. In plexu solari nihil peculiare. Pancreas induratum. Lien parvus flaccidus, contextus mollioris. Renes in statu naturali, vesica urinaria valde contracta, membranæ ejus crassiores, interna corrugata.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXVI.

Militis Uxor P.... S.... 39 annos nata, e regione urbana in domo Sch... morbo correpta est die octava Octobris hora tertia post mediam noctem. Utebatur constitutione corporis debili. Spatio vero quatuor dierum ante morbi invasionem dolore capitis, præprimis in occipite et vertice, atque lumborum laborabat. Media nocte hujusce (8) diei, dolore lumborum jam debellato, subito exorta est nausea et ipse vomitus, ab initio cibis, deinde aquosus, cum diarrhoea, post nonnullas dejectiones alvinas cum fœcibus, etiam aquosa. Vomitu tribus vicibus perpesso dolorem pungentem in epigastrio et borborygmos in toto abdomine sentire cœpit. Hisce malis spasmi extremitatum inferiorum et manuum associati sunt. Per totum hoc tempus nec calorem nec horrorem ægrota persentiebat. Hora quinta matutina adiens illam Medi-

cus, porrectis ei laudani liquidi S. guttis xx. mox illam in Nosocomium deduci jussit. Hic adnotata sunt symptomata : — Dolor capitis, facies collapsa et livens, oculi retracti, albuginea non rubens, lingua humida, frigida, livescens, et muco albo obducta, sitis intensa, vomitus frequens aquosus, respiratio difficilis, parva et frequens, halitus frigidus, anxietas maxima, nullus tamen sensus oppressionis pectoris, dolor præcordiorum pungens, etiam ad oppositam partem dorsi sese extendens, inter profundiorem inspirationem recrudescens, borborygmi, diarrhoea non tam frequens, frigus totius corporis, cutis manuum ac pedum corrugata et livida, spasmi solummodo surarum, summa anxietas et inquietudo, pulsus nullus. Post balneum pulsus valde debilis quamvis apparuerat, sed quadrante hora elapsa iterum nullus, corporis frigus fronte excepto idem mansit, et in tota ejus superficie sudor copiosus frigidus prorupit, cetera symptomata eodem tenore perdurabant. Venæsectione instituta vix ad vasculum theanum sanguinis spissi, tenacis, et statim coagulati exprimi potuit. — Secundo balneo post meridiem adhibito ejectiones et spasmi amplius non aderant, reliqua vero symptomata non remittebant. Præterlapso quodam temporis spatio totum corpus, præter antibrachia et crura tepidum, absente tamen

pulsu, observabatur, livor autem, supra faciem et extremitates diffusus, gradatim intensior evadebat; tandem ad vesperem respiratio difficilior, rara et abdominalis. Medicamenta præscripta: Aetheris sulphurici, laudani liquidi S. ää dr. jj. guttæ xx. omni dimidia hora sumendae; quas tamen secunda jam vice aegrota respuebat. Denique hora septima pomeridiana aegrota vita defuncta est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris decima die hora XI matutina.

Habitus corporis externus sat robustus, musculosus, lividitas totius corporis magna, praeprimis extremitatum, rigiditas extremitatum potius inferiorum, facies non tam collapsa, livida, albuginea parum rubens.

Aperto specu vertebrali: — Dura mater relaxata minimam copiam laticis continebat, in parte cervicali nonnullæ adhæsiones; arachnoidea facile inflari potuit, diversis in locis minimis lamellis cartilagineis obsita, vix ullam opacitatem ostendebat; piae matris vasa magis sanguine injecta in superficie postica quam in antica, quae in statu normali erat; substantia medullae in tota parte cervicali et in suprema dorsali emollita et rubens.

Cavum cranii: — Durae matris vasa satis injecta; sinus longitudinalis sanguine nigro re-

pletus; arachnoidea diversis in locis opaca, piae matri ubique adhærens; pia mater cujus vasa sanguine turgida, facilis avulsu et sub illa in sulcis minima laticis copia. Substantia cerebri in statu naturali. In ventriculis lateralibus minima copia laticis.

Cavum thoracis: —In larynge et trachea parva rubedo totius internæ membranæ. Pulmones non collapsi, sanguine spumoso repleti, dexter adhærens, colore extrinsecus in parte antica ex griseo-rubescente cum maculis ex fusco-lividis, in postica livido-rubro, intrinsecus colore ex fusco-rubro anterius pallidiore. Cor: — totum cor sanguine atro impletum. In atrio dextro massa fibrosa albido-flavescens, enormis, ab una parte crusta ex nigro rubescente, et sanguine coagulato, firmiter adglutinato, tecta, totam cavitatem atrii et ventriculi implens, musculis pectinatis, trabeculis carneis et chordis tendineis valvularum tricuspidalium firmiter annexa ramumque ad arteriam pulmonalem mittens. Valvulæ semilunares rubrae. In atrio sinistro ejusdem indolis massa albida; solummodo valvulis mitralibus adhærens et ramo vermiformi ad ventriculum progrediens.

Cavum abdominis: — Peritonæum in statu naturali pariter ac hepar, omentum parum pinguedinis habens. Vesicula fellea collapsa, non

magnam quantitatem bilis ex atro flaventis continebat. Ventriculus maximus et aëre inflatus, colore naturali. Intestina tenuia aëre summopere distenta colore rubescente, snperficie abdomini contigua viridicante. Intestina crassa aëre minus quam tenuia distenta, parva angustatio in colo descendente latitudine unius pollicis cum dimidio, longitudine 4 pollicum. Interna membrana ventriculi in fundo paulullum rubebat pariter ac ultimus finis æsophagi. Duodenum in initio nonnihil rubebat. Ileum ad mediam partem colore fere naturali cum maculis hinc inde viridicantibus, reliqua pars intestinorum tenuium colore roseo hinc et illinc cum maculis rubescentibus aliisque albidis longitudinaliter dispositis, et valvulis Kerkringii fere deletis, transversim insidentibus. Color intestinorum crassorum grisescens, in colo transverso parva rubedo, in reliqua superficie maculæ leviter rubentes. Pancreas, lien, et renes in statu naturali pariter ac plexus solaris. Vesica urinaria contracta, membranæ ejus crassiores, interna corrugata et leviter rubens. Uterus consueto major, membrana ejus interna rubebat, cavum ejus mucum sanguinolentum continebat, in utroque ovario hydatides.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.

XXVII.

Servus D.... L.... S.... M.... e sectione Serpuchovskoy, constitutione corporis debili gaudens et ebrietati deditus, morbo affectus est die Novembris septima tempore noctis. Intravit Nosocomium die Novembris octava hora undecina matutina. Symptomata morbi tunc adnotata: summa virium prostratio, vertigo, pulsus fere nullus, lingua muco albo obducta, vox rauca, respiratio difficilis, dolor sub scrobiculo et in abdomine, vomitus ac diarrhœa, spasmi extremitatum, sitis non sedanda, eaque continua. Ordinatio fuit: — Acidi sulphurici concentrati gutt. jv. cum aquae communis cochleariis jj. omni hora sumendæ. Eodem tempore ægrotus balneo tepido aquoso immissus, et spiritu salis ammoniaci cum tinctura capsici annui perfricatus, vesicatorium scrobiculo superimpositum et balneum vespertino tempore reiteratum est. Hora octava vespertina (8 Novembris) ægrotus vita defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris decimo die hora X^ma^ matutina a D^no^ Kudriawzoff Professore Adjuncto Academiæ Cæsaræ Medicochirurgicæ, adjuvantibus DD. Kikin et Bogoliuboff Prosectoribus An. ejusdem Academiæ.

Habitus corporis externus: — Superficies totius corporis livida, aderant insuper vibices et

parvulæ escharæ ad partem præprimis lumbalem, facies maxime collapsa et oculi aperti atque collapsi, rigiditas ubique et præsertim in extremitatibus superioribus et inferioribns maximo in gradu, digiti manuum contracti, rugosi et ad ungues coloris plumbei, in pedibus vero a statu naturali non recedebant.

Integumentis cranii cruciatim dissectis atque remotis, musculi temporales tam ab externa quam ab interna superficie sanguine nigro turgentes, in arteriis temporalibus ejusdem coloris sanguis; aperto cranio, vasa durae matris sanguine consueto magis nigricante, sinus vero longitudinales et omnes basilares nigerrimo, maxime impleti erant. Quoad basin ipsius cerebri, arteria basilaris cum suis ramificationibus sanguine nigro repleta, pariter ac arteria callosa ipsaque vasa superficialia. Cerebri substantia a statu naturali non recedebat, præter puncta nigricantia per eam sparsa satis copiosa. In ventriculis lateralibus ad eorum cornua, in aquæducto Sylvii et in quarto ventriculo ad drachmam dimidiam seri aderat.

In specu vertebrali: medulla spinalis, excepta opacitate arachnoideæ in media ejus parte et præter turgorem nonnullorum vasorum versus caudam equinam ab hocce

sanguine nigricante, a statu naturali non recedebat.

In thoracis cavo, pulmones non collapsi, ab anteriori parte et superficialiter ex griseo et ex fusco-rubescentes, posteriora versus et inter lobos coloris rosei, in substantia interna purpurei. Pericardium in statu naturali. In ventriculo cordis dextro sanguis grumosus nigerrimus et quoad spissitudinem quasi oleosus; reperiebatur insuper coagulum lymphaticum, massam in nonnullis locis luculenter fibrosam referens, quod majus erat in ventriculo dextro, quam sinistro, qui pariter sanguine nigro, etiamsi minori in quantitate repletus erat. Larynge dissecto, interna ejus superficies rubescens ramificationes vasorum distincte offerebat.

In cavo abdominis: —Hepar et lien nil peculiare ostendebant, vesica fellea bile repleta non tamen distenta. Ventriculus et intestina etiamsi non nimis, distenta tamen, colon vero transversum media in parte et descendens per totum tractum coarctatum; duodenum et jejunum magis rubebat quam in statu normali, reliqua intestina in statu naturali. Membrana interna duodeni et jejuni coloris rosei, ab initio intensioris, versus ileum sensim sensimque evanescentis et in ileo color ex toto naturalis; reperiebantur insuper maculæ albidæ in fine jejuni et initio ilei, longitudinales errosionibus

non absimiles. Cetera intestina coloris naturalis; omnes insuper membranæ ilei extenuatæ esse videbantur. Renes in statu naturali. Vesica urinaria summopere contracta; interna superficies ejus rugosa et pallida; in arteria aorta, quamvis non multum, sanguinis nigricantis reperiebatur. Pancreas a naturali statu non recedebat.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff. Kikin. Bogoliuboff.

XXVIII.

Civis Mosquensis J..... M..... 45 annos natus, constitutione corporis media, ipsemet adiit Nosocomium urbanæ sectionis Novembris 8 die hora quarta matutina. Prima morbi symptomata, sicuti ipse professus est, erant: Vomitus decies repetitus, quo ab initio ejiciebatur cibus, postea mucus, et dein materia aquosa, fluxus alvi prius cum excrementis, postea vero aquosi, anxietas præcordialis, vertigo. Symptomata vero in Nosocomio consignata erant haec: dolor capitis et sub scrobiculo, anxietas, nausea, et vomitus et diarrhoea vehemens, spasmi extremitatum, pulsus vix sensibilis, respiratio difficilis, lingua muco albo obducta, calor cutis modicus. Cura interna erat: — Aether. sulphurici laudani liquid. Syd. ää dr. jj. quavis dimidia hora gutt. xx. sumendæ, et infusionis Valerianæ unc. vj. tinctur. castorei, aether. sulphur. li-

quor. cornu cervi succinati ää dr. j. et semis. M. D. S. cochlear mens. omni quadrante horae. Cura externa, vænesectio ad libr. j. balneum vaporarium ter de die exhibendum et frictio spirituosa. Secunda (9) die vomitus et nausea continuabantur, sed non tam vehementer, pulsus vix ac ne vix percipiebatur, respiratio non tam libera, spasmi extremitatum inferiorum, lingua rubra et satis pura, manus et pedes frigidi erant. Media hac die anxietate summa corripiebatur ægrotus, singultus, manus et pedes frigidi, pulsus vix sensibilis, et dolor sub scrobiculo animadvertebantur. Ordinatio erat: — Moschi gr. jv. Salis cornu cervi gr. jj. Elæosachari Cajeput gr. x. M. f. pulvis, omni dimidia hora sumendus. Per noctem vero ægrotus ter in balneum immissus erat, itemque frictio spirituosa totius corporis instituta, synapismi suris, dorso et brachiis applicati erant. Die (10) tertia anxietas summa, respiratio difficilis, pulsus fere nullus, absentibus tamen vomitu diarrhœa et spasmis, dolor in pectore, lingua frigida, squallor oculorum, frigus manuum et pedum. Denique anxietate maxima et convulsionibus accedentibus ægrotus vitam suam amisit.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris undecima die hora XI matutina.

Habitus corporis externus: — Minime emaciatus, lîvor in dorso potius, rigiditas extremitatum præprimis inferiorum, manuum cutis corrugata, digiti contracti, apices eorum aliquantulum lividi.

Cavum cranii: — Durae matris vasa valdopere injecta, sinus longitudinalis sanguine atro, partim coagulato repletus; arachnoidea ubique fere opaca, in sulcis cerebri collectio laticis inter piam matrem, quae facile auferri potuit, et ipsum cerebrum; vasa piae matris multo sanguine injecta. Sinus in basi cranii multo sanguine turgentes. In ventriculis lateralibus minima seri copia, in plexibus choroideis potius vasa venosa turgebant, pariter ac in corporibus striatis. Ceterum substantia cerebri naturalis.

Aperto specu vertebrali: — a postica facie dura mater in statu normali, arachnoidæa pellucida, facilis inflatu, nonnullis in locis superficiei ejus externæ lamellæ cartilagineæ insidebant, quarum tres multo majores in ima parte, ita ut maxima illarum lineas tres in diametro haberet; vasa piae matris multum injecta, et in parte cervicali, et versus caudam equinam satis conspicuæ extravasationes sanguinis inter piam et arachnoideam, substantia medullæ in infima parte dorsali emollita, reliqua naturalis.

Cavum thoracis : — Pulmones non collapsi, costis, et lobi eorum inter se, adhærentes, extrinsecus colore anterius griseo-rubescente cum maculis ex fusco-cœruleis, posterius ex livido-rubro cum maculis similibus, intrinsecus et posterius colore intense purpureo cum maculis nigris, anterius non nihil pallidiore. Cor :— In pericardio multis in locis ramificationes vasorum manifestæ, liquoris ad unc. dimidiam, membrana pericardii interna, vasa majora obvolvens, rubra, intensius autem supra aortam, cujus membranæ externæ vasa multo sanguine, potius venoso, turgida. Superficies cordis externa lividior, et vasa ejus sanguine atro impleta, in superficie inferiori, præsertim ad basin ventriculi sinistri plures maculæ rubræ et nigricantes, ecchymosibus similes, in superficie cordis superiori duae maculæ albidæ, opacæ, sat latæ, lymphæ exsudatæ similes, quales et ad tractum vasorum cordis inveniebantur, apex cordis, pinguedine tectus, magis rubens. Atrium dextrum copia sanguinis nigri, ex parte coagulati, repletum. In auricula massa albida fibrosa, tenuis membranæ ad instar sanguine coagulato gelatinoso obducta et musculis pectinatis accreta, ad apicem ventriculi descendens, valvulis tricuspidalibus, et trabeculis carneis firmiter adhærens et ad arteriam pulmonalem, ejusque divisiones primas

ramos crassiores dimittens. In atrio sinistro ex venis pulmonalibus massa, ejusdem indolis ac in dextro, ad valvulas mitrales descendebat, chordis tendineis firmiter adhærens, unde alia massa ejusdem indolis ad arteriam aortam transibat. Membrana interna aortae paululum rubens. In tela cellulosa, arcum et partem thoracicam aortae ambiente, ecchymoses satis latae, nigrae; membrana ipsius aortae hic etiam rubens.

Cavum abdominis: – Peritonæum, omentum, pariter ac hepar in statu naturali, vesicula fellea bile atro-viridicante impleta. Ventriculus aëre non multum repletus, coloris naturalis. Intestina in situ normali. Tenuia, praeprimis ileum aëre impleta, externe aspecta fere a dimidio jejuno satis rubebant, et hinc inde praesertim in ileo maculis ex livido-rubris tecta, cujus finis (ilei) colore ex griseo-rubescente. Cœcum et colon ascendens aëre distenta, in initio coli transversi angustatio ad diametrum pollicis 1 $\frac{1}{4}$, reliqua ejus pars normalis. Ab initio coli descendentis diameter crassorum sensim sensimque minor evadebat ita, ut in flexura iliaca ad mediam ejus partem vix pollicem adaequaret. Color crassorum ex griseo-rubescens, sed pallidior, quam in fine ilei. Interna superficies ventriculi praeprimis in sacco cœco et fundo plurimis maculis rubris obsita et muco tenaci flavescente tecta, duodenum, et suprema tertia

pars jejuni in statu naturali, ab hinc vero incipiebat rubedo, ab initio non admodum, sed brevi post magis intensa, carnea, praesertim in valvulis conniventibus compacta, maxime vero intensa in tractu ilei, cujus finis colore ex griseo-rubro. In toto tractu tenuium praeterea, speciatim in ileo, maculae hinc inde latae viridicantes observabantur. Cœcum et colon ascendens colore ex griseo-rubro, circa primam flexuram pallidiore. Colon transversum intensa rubedine compacta tinctum, in toto fere ejus tractu maculae ex cinereo-viridicantes cum punctis rubris et nigricantibus, (glandulae Peyerianae esse videbantur), a quibus membrana interna scalpendo facile avelli potuerat. Ejusmodi macula magis extensa in initio coli descendentis aderat; media coli descendentis pars minimam rubedinem offerebat, membranae vero illius in flexura iliaca crassiores et tota earum superficies interna coloris ex griseo-viridicantis. Lien voluminosus in statu normali. Plexus solaris nihil peculiare ostendebat. Arteria aorta descendens sicuti vena cava sanguine atro repletae, internae earum membranae vero in statu naturali. Renes in statu normali. Vesica urinaria valde contracta, spatium ovi columbini referens, membranae ejus crassiores, interna corrugata, pallida, lotii parva copia aderat.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXIX.

Servus D.... V.... G..... J.... 34 annos natus, morbo correptus est Novembris 10 die hora 11ma matutina, qui incœpit vertigine, dolore capitis, dolore sub scrobiculo cordis, spasmis extremitatum, vomitu et diarrhœa frequenti. Post nonnullas horas in Nosocomium regionis Miasnizkoy advectus est. Ibidem consignata symptomata haec: Debilitas summa, dolor capitis vehementissimus, dolor pectoris et abdominis, spasmi extremitatum, cutis algida, extremitates frigidae livescentes, respiratio laboriosa, pulsus nullus, vomitus, diarrhœa frequentissima, urina nulla, aphonia. Ordinata remedia: Liqu. C. C. succ. gutt. xxv. cum aqua omni dimidia hora, dein Moschi orientalis gr. jjj. gummi arabici gr. x. M. f. p. D. S. omni hora. Balneum sale culinari saturatum. Synapismi ad scrobiculum cordis et ad suras. Frictio totius corporis spiritu vini camphorato calidissimo. Omnibus hisce adhibitis status aegroti idem permansit usque ad 9nam vespertinam, qua diarrhœa et vomitus cessavere, sudor viscidus frigidus hic et illic apparuit, respiratio magis laboriosa, rara evasit, facies erat hippocratica, cessantibus spasmis hora decima vespertina aegrotus animam expiravit.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris undecima die hora tertia pomeridiana.

Habitus corporis externus : — Robustissimus, admodum musculosus, livor in dorso, rigiditas extremitatum magis vero inferiorum, manuum cutis parum corrugata, digiti contracti, non lividi nisi paululum ad apices.

In specu vertebrali : — In facie postica dura mater in statu normali, arachnoidea pellucida, facilis inflatu, pia mater sanguine injecta, et inter utramque tunicam in tota fere parte medullæ dorsali sanguinis extravasatio, ibidemque ac in parte cervicali substantia emollita. Facies antica medullæ in statu normali.

Cavum cranii : — Vasa durae matris repleta multo sanguine, quo turgent etiam omnes sinus. Arachnoidea fere ubique opaca. Vasa piae matris sat injecta. In fine posteriori hæmispherii sinistri minima inter piam matrem et substantiam cerebri extravasatio. In ventriculis lateralibus et tertio parva copia seri. Arteria basilaris cum ramis suis sanguine nigro turgebant. Substantia cerebri normalis.

Cavum thoracis : — Pericardium adiposum, cor voluminosum flaccidum, totum atrium dextrum sanguine coagulato, gelatinæ simili impletum, in cujus superficie striæ albidæ fibrosæ apparebant, in ventriculo dextro ejusdem indolis massa sed magis compacta et albida, trabeculis carneis et valvulis tricuspidalibus adhærens. In ventriculo sinistro parva ejusdem indolis massæ

quantitas valvulis mitralibus adhærens, et sanguinis nigri magna copia pariter ac in atrio. Pulmones nec accreti, nec collapsi, extrinsecus et anterius colore ex livido-rubescente, posterius adhuc magis livido. Intrinsecus ubique ex fusco-rubro colore, magna copia sanguinis spumosi repleti. Laryngis et tracheæ interna membrana rubebat.

Cavum abdominis: — Hepar in statu normali, vesicula fellea bile viridicante turgida. Peritonæum in statu naturali, omentum adiposum. Ventriculus vacuus, coloris naturalis, situs intestinorum normalis. Intestina tenuia hinc inde aëre distenta coloris naturalis. Intestina crassa aëre distenta, coloris pallidi, angustationes nullibi. In interna superficie ventriculi in sacco cœco prope cardiam parva macula rubra, reliqua tota superficies in statu naturali. Intestina omnia coloris pallidi. Ad finem jejuni et in toto tractu ilei observabantur maculæ albidæ longitudinales valvulis circa eas desinentibus. Glandulæ Peyerianæ solito majores exsurgebant ex superficie. Lien et renes in statu normali. Vesica urinaria non contracta, membranæ ejus consueto non crassiores, et superficies ejus interna leviter, præprimis ad collum, colore ex cœruleo-rubescente tincta. In vena cava et abdominali sanguis niger.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXX.

Rusticus Ch. . . . L. . . . servus D. . . . V. . . . 33 annos natus, constitutione corporis robusta, et temperamento phlegmatico præditus, morbo affectus erat Novembris 9 die. Prima morbi symptomata erant: — Diarrhœa vehemens, vomitus frequens, vertigo. In Nosocomium Novinskoy altera die (10) hora 3 pomeridiana collocatus ægrotus in pejus ruebat, pulsus erat parvus, rarus, et vix sensibilis, lingua crusta flavo-fusca obtecta, et sicca, alvi fluxus per plures vices repetitus, absente tamen vomitu, fluxus urinæ minime suppressus, dolor sub scrobiculo maximus, extremitates frigidæ, earumque spasmi vehementes, color totius corporis pallidus. Ordinatus erat pulvis ex Calomelanos gr. jj/β. saccharoque compositus omni hora cum laudani liquidi S. gutt. jv—v—vjjj. propinandus, etiam Olei Menth. gutt. jj—jjjj. cum ætheris sulphurici gutt. x. sumebat ægrotus in decocto Altheæ. Eodem tempore balnea aquosa calida et vaporaria adhibita, hirudinesque scrobiculo erant appositæ. Media nocte ægrotus morte defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est nobis præsentibus ab Adjuncto Academiæ Cæsareæ Medico-chirurgicæ Mosquensis D[no] Kudriawzoff,

et prosectoribus ejusdem Academiæ Bogoliubow et Kykin Novembris die undecima hora X^{ma} matutina. . . . .

Habitus corporis externus : — Color totius corporis, præprimis ad partem ejus posticam, nec non ad apices digitorum, lividus erat. Rigiditas ubique tam maxima, ut non solum extremitates superiores et inferiores flecti et diduci nequirent, sed et totum corpus esset inflexibile. Facies ejus non collapsa, sed potius turgida, oculi semiaperti, et ad albugineam flavescentes. Digiti manuum coarctati, et cute rugosa, pariter ac volæ, obtecti. Multum insuper materiæ liquidæ, flavescentis, pessime olentis, ex ore et naribus effluebat.

Integumentis capitis cruciatim dissectis nil præternaturale erat repertum, excepta vasorum temporalium a sanguine nigro parva repletione. Aperto cranio et dissecta dura matre in sinubus non multum sanguinis nigri inveniebatur; exempto vero cerebro magna quantitas humoris serosi ad basin cranii collecta; arachnoidea a pia matre sejungi non potuit, sed utraque, latice albicante per totam superficiem cerebri suffusa, satis facile a cerebro avelli potuit; suffusio humoris hujusce lymphoso-serosi tanta erat in quantitate, ut non solum sulcos repleret, sed et super eminentias stagnaret. Vasa

cerebri superficialia sanguine parum repleta erant; hemisphæriis a se invicem sejunctis arteria callosa vacua erat; iisdem cum corpore calloso paralleliter dissectis, substantia cerebri, quoad colorem naturalis, quoad contextum vero justo durior visa; ventriculis lateralibus denudatis quantitas seri in illis vix naturalem excedebat. Plexus choroidei pallidi, et ad cornua posteriora in hydatides performati, quae (hydatides) materia vera lymphosa repletæ, magnitudine nuci avellanæ aequales erant. Aliae partes, pariter ac cerebellum, naturaliter se habebant.

Specu vertebrali aperto, dura mater undique pallida et relaxata erat; dissecta illa, arachnoidea ope tubuli facile inflabatur, et a pia secedebat, hinc et inde pelluciditatem aliquantulum amiserat, et in parte dorsali sua lamellam cartilagineam habebat subrotundam, quae illi firmiter adhærebat, et in ambitu piperis maguitudinem haud superabat; pia vero mater sanguine rubro in ejus vasis hærenti sat intense renitebat; substantia medullæ spinalis erat integra.

In cavo pectoris: — Pulmones ex utroque latere ad costas, sinister vero ad ipsum diaphragma, adhærebant, coloris ex griseo-coerulei,

et versus posteriora nonnullis solummodo in locis erant rubescentes; quoad contextum naturales; substantia eorum interna in pulmone dextro coloris naturalis, in sinistro vero, et in inferiori lobo purpurei. Pericardium quam maxime, ipsum cor satis adiposum; flacciditas cordis notabilis; in atrio dextro massa ex albo-flavescens, lymphoso-fibrosa, sanguine coagulato obtecta, totum fere atrium implens, et in ventriculum descendens eumque ex toto occupans, valvulis tricuspidalibus et trabeculis carneis firmiter adhærens, et usque ad valvulas semilunares arteriæ pulmonalis sese extendens. In atrio sinistro ejusdem indolis massa, sed tenuior, membranæ similis, sanguine coagulato obtecta, ad superiorem partem valvularum mitralium adhærens, et unum ramum in fundum ventriculi, alterum in aortam demittens.

In cavo abdominis: — Extrinsecus hepatis color ex griseo-flavescens (jecinorîs anserini adiposi haud absimilis), pari modo et interna substantia tincta. Quoad duritiem, nil præternaturale reperiebatur; vesica fellea coloris vivide viridicantis, ipsum fel, eodem fere colore tinctum, sat liquidum erat; collum vesicæ hujus nimis distentum erat; aspectus ventriculi et intestinorum pallidior, quam naturalis. Intesti-

na omnia exempta, et bene examinata ab interna sua superficie ubiquè pallidiora erant, sicuti ab externa, sed duodenum aliquantulum bile tinctum, pariter ac ventriculus. Splen naturale; renes pallidiores extrinsecus et intrinsecus. Vesica urinaria nimis coarctata, intrinsecus et extrinsecus eodem modo, ac renes, pallida. Arteria aorta descendens, in portione sua abdominali, extremitatibus suis deligata, et postea dissecta, sanguinem coloris nigri, quamvis non abundanter continebat.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff. Kykin. Bogoliuboff.

DECAS IV.

XXXI.

Uxor militis A. . . . S. . . . 38 annos nata, constitutione corporis debili gaudens, morbo affecta est Novembris 9 die hora quinta pomeridiana in domo D. Schl. . . . sectionis urbanæ. Prima morbi symptomata erant: alvi-fluxus aquosus multoties repetitus, vertigo, anxietas præcordialis, pulsus debilis, spasmi extremitatum. Adiens Medicus propinatis laudani liquid. S. guttis xxv. et Naphthæ vitrioli gutt. x. illam in Nosocomium transvehi jussit. Ibi ægrotam opprimebant symptomata haec: prostratio virium summa, dolor capitis et sub scrobiculo cordis, anxietas, et, absente vomitu, diarrhoea vehemens, spasmi denique extremitatum, præsertim inferiorum, pulsus fere nullus, respiratio difficilis, lingua frigida, muco albo obducta, facies pallida, oculi concavi, cutis frigida, vox rauca, surditas.—Ordinata erant:—Infus. Rad. Valerianæ unc. vj. liquoris corn. cervi, tinct. castorei ää dr. j. quavis dimidia hora cochlear j. balneum vaporarium, et frictio spirituosa. Altera (10) die diarrhoea et spasmi leviores, pulsus vix ullus, lingua erat frigida, manus et pedes

etiam frigidi. Cura eadem.— Ad vesperem ægrota excruciabatur summa anxietate, respiratione laboriosa et pulsus prorsus cessaverant. Instante vero media nocte ægrota mortua est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris duodecima die hora XI matutina.

Habitus corporis externus: —macilentus, livor in dorso et extremitatibus inferioribus, præsertim in pede dextro, rigiditas extremitatum superiorum magis quam inferiorum, cutis palmae manuum, contractarum, corrugata, livida præsertim ad apices digitorum, facies pallida, collapsa.

In cavo cranii : — Dura mater in statu naturali ; in sinu longitudinali sanguis coagulatus, reliqui sinus non nimis sanguine impleti ; arachnoidea plurimis in locis haud pellucida, ubicunque adhærens piae matri, quae facile a cerebri substantia avelli potuit, et cujus vasa satis injecta erant. Inter piam matrem et cerebrum laticis aliqua copia in sulcos effusi. In ventriculis lateralibus seri parva copia ; plexus choroidei et substantia cerebri in statu naturali.

Medulla spinalis : in facie ejus postica dura mater in statu naturali, arachnoidea facilis inflatu, pellucida, hinc inde squamulis cartilagineis, præsertim versus caudam equinam obsita ; vasa piae matris valde injecta, quorum trunculi

nonnulli, et quidem conspicui, simul cum inflata arachnoidea, firme ei adhærentes, elevabantur. In ima parte cervicali, et prope caudam equinam substantia medullæ emollita, et in ultimo loco extravasatio sanguinis inter arachnoideam et piam matrem ad pollicis extensionem. In facie antica nihil peculiare nisi adhaesiones arachnoideae cum pia matre pluribus in locis.

In cavo thoracis: — Laryngis et tracheæ membrana interna in statu naturali. Pulmones non collapsi, nullibi adhærentes, color eorum anterius ex cœruleo leviter rubescens, posterius ex livido-ruber, intrinsecus in parte anteriori ex griseo-rubescens, in postica ex fusco-purpureus, cum maculis nigricantibus. Pericardium adipcsum, liquoris dr. jj. continens. Vasa propria cordis sanguine injecta. In atrio dextro massa fibrosa, albida, ex auricula descendens, hic sanguine multo coagulato, gelatinoso quasi obducta, totam cavitatem atrii fere implens, in ventriculum dextrum transiens, totam ejus cavitatem obstruens, hoc in loco albido-flava et crassa, et usque ad ostium arteriosum progrediens, musculis pectinatis, valvulis tricuspidalibus et trabeculis carneis in tractu suo ubique firmiter adhærebat. In atrio sinistro maxima copia sanguinis nigerrimi coagulati, quasi gelatinosi. A valvulis mitralibus ad ipsum apicem ventriculi massa

ejusdem indolis, ut in ventriculo dextro, sed minor descendebat, ramum sat crassum ad arteriam aortam mittens.

Cavum abdominis: — Peritonæum, omentum et hepar in statu naturali. Vesicula fellea bile atro-viridicante distenta. Ventriculus aëre impletus, et in media sua parte ad diametrum 1½ pollicis coarctatus, coloris normalis. Intestina tenuia hinc inde aëre distenta, atque rubra, præsertim ileum. Cœcum, colon ascendens, et tertia pars transversi aëre distenta, et coloris naturalis, ab hac parte diametro poll. 1½ adæquante et coloris griseo-rubescentis, ejusdem coloris et colon descendens, cujus initium aëre distentum, reliqua pars usque ad flexuram iliacam diametro 1 poll.; eodem diametro et flexurae media pars, quae colo descendenti pallidior erat et duas maculas griseas nigricantes, quasi a fuligine tinctas, ostendebat. Ventriculi interna membrana in parte coarctata admodum rugosa erat, sed incrassatio membranarum vix conspicua, nec rubedo ulla. Duodenum et jejunum coloris naturalis. Ileum vero præprimis ad finem rubebat leviter. In cœco nonnullae maculae rubrae compactae; colon ascendens naturale, in reliquo tractu crassorum, praeprimis in transverso, maculae ex griseo-rubrae, et quidem etiam compactae. Contenta tubi inte-

stinalis grisei coloris. — Renes et lien in statu naturali, pariter ac uterus. Vesica urinaria valde contracta, membranae crassiores, interna corrugata, sed non rubens. Plexus solaris nihil peculiare offerebat.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXXII.

Servus Pr. D.... S..... Ju.... juvenis 19 annorum, advectus est in Nosocomium Tverskoi Novembris sexta die hora X^{ma} pomeridiana. Morbi symptomata consignata haec: — dolor vehementissimus in hypochondrio dextro et regione epigastrica sub levi jam attactu clamorem excitans, pulsus celer, plenus et mollis, urinae incontinentia, alvi obstipatio, superficies corporis calida et sicca, delirium, cui dolor capitis duas dies ante morbi invasionem præcedebat. Cura: — venæsectio ad libram j instituta, balneum vaporarium acetosum, synapismi suris, clysmus communis, nec non emulsionis amygdalinæ omni dimidia hora cochlear mens. sumendum. Altera (7) die postquam clysmi usu sordes nigrae fœtidae multae ejectae essent, dolor in hypochondrio permansit, alvo iterum stipata delirium furibundum. Ordinatio erat: — Potionis River. unc. jv. Aqu. Menth. p. et Melissae citrat. ää unc. j. tartari emet. gr. j. M. D. S. omni dimidia hora cochlear m.

Hirudines hypochondrio dolenti et epigastricæ regioni, vesicatorium nuchae, synapismi brachiis, et fomentationes frigidae capiti, abrasis capillis, adplicabantur. Tertia (8) die ægrotus in sopore continuo jacebat, reliqua symptomata eadem. Propinabantur pulveres ex Calomelan. gran. jjj. Gummi arabici et Sacchari albi ää gran. vj. compositi, quavis tertia hora in Emulsione amygdalina. Hirudines denuo hypochondrio, et pone aures apponebantur, nec non synapismi femoribus. Quarta (9) die ad pristina symptomata accesserunt spasmi surarum, hora XI mat. opisthotonus, et involuntarius alvi fluxus. Ordinatus est pulvis ex calomelan. granis jjj. Moschi oriental, gr. jj. extracti opii aquosi dimidia parte grani, et Elæosacchari fœniculi gr. x. compositus, pro re nata propinandus. Ad vesperem ægrotus cum duos jam pulveres sumsisset, prima vice ad conscientiam suimet ipsius reversus, mox vero iterum convulsionibus affectus, nocte accedentibus: spasmis totum corpus convellentibus, singultu, deglutione impedita et respiratione per intervalla stertorosa. Quare Unguenti Alth. unc.j. olei cajeput dr.jj. camphor. dr. jjj. opii puri dr.j. pro inunctione totius corporis præscriptum. Quinta (10) die praeter soporem status ægroti idem, et alvus iterum clausa. Ordinatio: — Calomelan gr. jjj. Moschi orient. gr. jj. extracti

hyosciami dimidia pars grani, elœosachari fœniculi gr. x. M. D. S. ter intra diem, et emulsio amygdalina pro potu. Vespertinis horis opisthotono strabismus, sardonicus risus, priapismus, et convulsiones omnium membrorum adsociabantur; hora X^{ma} vespertina totum corpus sudore tepido madefactum erat, spasmi vero cum brevibus remissionibus per totam noctem continuabant, alvo semper stipata. Præscripta: olei ricini cochlear m. unum quavis hora, et clysmus ex gummi asae fœtidae dr. jj. infusionis chamomillæ libr. ꞵ. compositus. Sexta (11) die clysmus eduxit sordes multas nigras cadaverosum fœtorem spargentes et quamquam simul opisthotonus cessaverit et pulsu vix ullo, sudor apparuerit tepidus, pedibus tamen, etiam tunc frigidis, spasmi musculorum intercurrenter continuabant. Remedium nullum porrigi potuit. — Denique hora 7 vespertina ægrotus diem supremum obiit.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris duodecima die hora tertia pomeridiana.

Habitus corporis externus — gracilis, admodum emaciatus, pallor totius corporis et faciei, rigiditas in brachiis nulla, sed aliqua in extremitatibus inferioribus, manus non lividae, nec cutis earum corrugata.

In cavo cranii: — Durae matris vasa non admodum injecta, arachnoidea haud pellucida,

et firmiter adhærebat subjacenti piae matri. In tota superficie externa lobi posterioris hæmisphærii dextri, et eadem lobi anterioris hæmisphærii sinistri magna effusio sanguinis inter piam matrem et cerebrum, similis effusio sed maculatim in multis aliis cerebri superficiei partibus, et speciatim in postica et superiori parte cerebelli. Pia mater non facile secedebat ab ipso cerebro. In ventriculis lateralibus seri non magna copia, (fere dr. una cum dimidia). Ceterum substantia cerebri naturalis.

In specu vertebrali: — Medulla spinalis præter injectionem vasorum versus caudam equinam, in parte postica, nil peculiare offerebat.

In cavo thoracis: — Larynx et trachea in statu naturali. Color musculorum pectoris sublividus, carni leporinae non absimilis. Pulmones non collapsi, dexter costis accretus, coloris anterius grisei, hinc inde livescentis et rubescentis, posterius roseo-lividi. Uterque pulmo intrinsecus ac anterius ejusdem ac extrinsecus coloris, posterius vero rubri, sanguine spumoso rubro, et quidem non nimis impletus. Cor: — In atrio dextro massa nigra gelatinae similis (pellicula quasi obducta), quae totam cavitatem atrii implebat, musculis pectinatis adhærens, et ventriculum petens totum ejus cavum occupabat et ad arteriam pulmonalem

ramum mittebat. Valvulae semilunares arteriæ pulmonalis rubrae. In atrio sinistro ejusdem indolis massa ac in dextro ex ipsis venis pulmonalibus descendens, fundum atrii implens, valvulis mitralibus et trabeculis carneis ventriculi firmiter adhærens, ac ramum ad arteriam aortam mittens. Totum cor sanguine nigro turgebat.

In cavo abdominis: — Peritonæum in statu naturali, omentum tenuissimum, pinguedine prorsus fere destitutum. — Hepar colore ex fusco sublivido, musculis ægroti simili. Vesicula fellea in statu naturali. — Ventriculus aëre impletus, coloris naturalis. Situs et color intestinorum naturalis; nonnullis in locis venae sanguine injectæ. — Intestina tenuia aëris parum continebant, pariter ac cœcum, et colon ascendens; reliqua pars intestinorum crassorum collapsa et angusta. Ventriculi interna membrana (dissecto ventriculo effluxerat magna copia materiei viridis) tecta ubicunque muco flavo-viridicante, circa cardiam maculae ex griseo-livescentes et rubescentes aderant, reliqua superficies naturalis. Duodenum et jejunum in statu normali. In ileo nonnullis in locis rubedo major et, ad valvulas Kerkringii, compacta. Cœcum et initium coli ascendentis fusco-colore, reliqua pars colore rubescente, hinc inde magis intenso. Per totum tractum intestinorum

muci flavo-viridicantis vestigia remansere. Plexus solaris nil peculiare offerebat. Glandulæ mesentericæ tumidæ, quarum una superabat volumen nucis avellanæ. Pancreas et lien in statu naturali. Arteria aorta abdominalis parum sanguinis, et non tam nigri continebat, in crurali vero nullus aderat. Renes in statu naturali. Vesica contracta, interna ejus membrana corrugata, colore naturali.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXXIII.

Servus D. . . . V. . . . . G. . . . . J. . . . Novembris 10 die, primo diluculo, vertigine capitis, vomitu et diarrhœa aquosis affectus, eadem die in Nosocomium Miasnizkoy admissus est. Ibi dem a Medico adnotata: — Dolor vehemens pectoris et sub scrobiculo cordis, vox rauca, fere aphonia; pulsus vix percipiendus, cutis frigida, contracta, spasmi extremitatum superiorum et inferiorum. Ordinata sunt: — Potio Riverii, balneum salinum, frictio spirituosa, sinapismi ad pectus et suras. — Nona vespertina hora ægrotus mortuus est.

Inspectio cadaveris Novembris duodecima die hora X matutina nobis præsentibus instituta est a DD. Kudriawzoff, Bogoliuboff et Kykin.

Habitus corporis externus: — Color totius corporis lividus, præsertim vero ad apices digitorum; digiti non contracti, cute tamen rugosa obtecti, rugositas haec observabatur et ad volas manuum, et ad dorsum pedum. Rigiditas totius corporis præprimis extremitatum magna; facies collapsa, oculi semiaperti, et ad albugineam aliquantulum flavescentes.

Aperto cranio vasa duræ matris cerebri superficialia et interna, sanguine modice injecta. Ceterum omnia in statu naturali.

In specu vertebrali: medulla spinali una cum velamentis exemta, suffusio sanguinis inter corpora vertebrarum et ligamentum eorum posticum, præprimis in parte cervicali et lumbali, evidens atque magna reperiebatur, quae (suffusio) in tela cellulari ad duram matrem, ad foramina intervertebralia, ad initium involucri nervorum vertebralium, et inter fibras nervosas caudæ equinæ, ab antica semper parte penetrabat, atque ita adhærebat, ut rubedo compacta nec detergi, nec repetita lavatione extingui posset; dura mater, excepto intensiori rubore in parte cervicali et lumbali, naturalis erat; tunica arachnoidea firmiter ad piam adhærebat, et excepta media parte, inflari non potuit. Piae matris vasa multo sanguine rubro erant injecta, et præprimis in illis

locis, ubi suffusio adnotata; ad caudam equinam vasa satis magna sanguine nigro repleta erant. Ipsa medulla integra.

In cavo pectoris: — Pulmones non collapsi, coloris cœruleo-rubri, quorum sinister in postica parte prope columnam vertebralem adhærebat; substantia vero utriusque pulmonis naturalis erat. Cor e pericardio extractum turgebat sanguine nigro atque grummoso, aderat præterea massa gelatinoso-fibrosa, colore flavescente, trabeculis carneis firmiter adhærens, ab hisce in atria et vasa majora se extendens, minor tamen in ventriculo sinistro, quam in dextro. Membrana interna laryngis rubescens, post ablutionem colorem suum non amittens, conspicuas vasorum ramificationes repræsentabat.

In cavo abdominis: — Intestina et quoad situm, et quoad colorem in statu sunt naturali, excepto eo, quod ventriculus paululum aëre, colon vero ascendens multum eo distentum esset. Intestinis exemtis, aqua probe ablutis, et per longitudinem dissectis, interna superficies ventriculi in fundo maculis rubris, parvis et compactis obsita erat. Intestina tenuia, pariter ac crassa toto suo tractu statum normalem conservabant. — Hepar et quoad colorem, et quoad substantiam sanum, vena por-

tarum sanguine nigro repleta erat. Vesica fellea ex pallido-viridis, bile viridicante, liquida, modica in quantitate, repleta erat. — Splen extrinsecus coloris naturalis, sed in intima sua substantia magis nigrescere visus. Renes in statu naturali. Venæ tamen renales sanguine nigro repletæ, arteriæ vero vacuæ. Vesica urinaria coarctata.

Nervi: Phrenicus et Ischiaticus nil alienum ostendebant. Arteria poplitea sanguine nigro modice impleta erat.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff. Kikin. Bogoliuboff.

XXXIV.

Civis Mosquensis C.... L.... quadragesimum ætatis suæ annum agens, constitutione fruebatur debili, morbo correptus est in Domo Dni B.... Novembris 9na die. Prima signa morbi erant: vertigo, anxietas circa præcordia, diarrhoea et vomitus. Hisce cum symptomatibus ingressus est Nosocomium 11ma Novembris die. Ibidem adnotata: maxima debilitas, pulsus fere nullus, spasmi extremitatum, alvi fluxus et vomitus vehementes. Ordinata sunt: Aetheris sulfurici laud. liquidi sydenh. ää dr. jj. M. D. S. omni dimidia hora gutt. xx. balneum vaporarium, frictio spirituosa cum oleo Terebinthinæ et clysmus amylaceus cum Dto Ratanhiæ. Quarta die

morbi (12) hora undecima matutina ægrotus morte defunctus est.

Inspecto cadaveris instituta est Novembris XIII die hora secunda pomeridiana.

Habitus corporis erat macilentus, lividitas solummodo in partibus declivis, musculi erant rigidi, præprimis extremitatum inferiorum, cutis manuum non corrugata, facies non admodum collapsa, tamen livida.

In cavo cranii : — Dura mater erat in statu naturali, sinus ejus non multo sanguine împleti. Arachnoidea ubicunque fere pelluciditatem suam amiserat; inter cerebrum et piam matrem, quæ absque difficultate a cerebro avelli potuit, et cujus vasa non multum sanguine turgebant, minima lymphæ suffusio aderat. In ventriculis cerebri parva copia laticis, in arteria basilari sanguis nigerrimus. Plexus choroidei justo pallidiores, et in dextro parva hydatis.

Aperto specu vertebrali : In superficie postica dura mater laxa erat, et multo latice distenta, arachnoidea prorsus pellucida, inter eam et piam meningem versus caudam equinam parva suffusio sanguinis. Vasa piae matris non multum sanguine impleta. Ipsius medullæ substantia infra suffusionem, et in media parte dorsali, colore parum mutato, emollita erat.

In cavo thoracis : — Cor flaccidum, in pericardio liquoris fere unc. j. ; in atrio dextro, ex auricula ipsa descendens massa, extrinsecus nigra, hinc et illinc albicans, ad apicem ventriculi progrediens, ubique parietibus ejus et valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens, et ramum vermiformem ad ipsam arteriam pulmonalem mittens. Valvulæ semilunares arteriæ pulmonalis rubræ. In atrio sinistro ejusdem indolis massa, sed membraniformis et multo minor, auriculæ et valvulis mitralibus adhærens, et ramum ad arteriam aortam mittens.

Pulmones multo sanguine spumoso repleti, costis et diaphragmati adhærentes, et collapsi erant, anterius colore cœruleo, hinc et illinc leviter rubescente, posterius lividiore, intrinsecus et in antica parte griseo-rubescente, in postica ex fusco-rubescente. Laryngis membrana interna leviter rubebat, tracheæ vero in statu naturali erat.

In cavo abdominis : — Peritonæum in statu naturali, pariter ac omentum. Hepar erat maximum, colore carneo, musculis ipsius cadaveris paulo pallidioribus simili; incisa substantia, quidquam duriori et eodem colore, loco sanguinis ex vasis ejus serum tenue sanguinolentum effluxit. Vesica fellea pallida, adiposa,

collapsa, bilis rubro-flavæ tenacis minimam copiam continebat. Ventriculus aëre inflatus, a cardia transversim inter saccum cœcum et fundum coarctatus, colore consveto pallidiore. Situs intestinorum normalis, color justo pallidior. Intestina tenuia hinc et illinc aërem continebant. Cœcum aëre distentum, colon usque ad flexuram sygmoideam plus minusve angustatum, reliqua pars coli et rectum aëre distenta erant. Aliqua copia laticis flavescentis limpidi in cavo ipso abdominis reperiebatur. Ventriculi membrana interna circa cardiam et in fundo leviter rubebat. Intestina tenuia naturali colore, nisi forte pallidiore. Crassa a colo descendente incipiendo pallebant. Membranæ tenuium justo minore densitate gaudebant, et muco flavo obductæ erant. Pancreas in statu naturali. Plexus solaris nihil præternaturale ostendebat. Lien voluminosum substantia firmiore et colore fusciore erat. Renes magni, sed in statu naturali. Vesica urinaria contracta, membranæ cujus crassiores, uncias duas lotii continebat. Arteria aorta descendens vix ullo sanguine repleta pariter ac iliacæ, cruralis vero prorsus vacua erat. Vena cava et vena portarum etiam parum sanguinis, admodum fluidi, continebant.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXXV.

Rustica A. . . . S. . . . . annos 56 nata, morbo correpta est Novembris 12 die hora secunda post mediam noctem. Morbus illius incepit alvifluxu mucoso, et dein aquoso multoties repetito, vertigine, sensu oppressionis in pectore, spasmis vehementissimis extremitatum et pulsu debili. Adiens illam Medicus post frictionem pedum ope pannulorum spiritu imbutorum transvehi jussit in Nosocomium sectionis urbanæ. Hic symptomata adnotata erant sequentia: —Summa prostratio virium, dolor capitis et sub scrobiculo, diarrhœa vehemens, spasmi extremitatum præsertim inferiorum, pulsus fere nullus, respiratio non libera, extremitates superiores et inferiores frigidæ, lingua muco albo obducta et frigida. Ordinatio erat haec: — Rp. Infus. Valerian. unc. vj. tincturæ castorei liquoris cornu cervi succinati ää dr. jj. M. D. S. omni dimidia hora cochlear m. unum. Eodemque tempore balneum vaporarium, et frictio spirituosa, synapismi scrobiculo et dorso applicati. Hora vero quinta pomeridiana Novembris 12 die ægrota mortua est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 13 die hora tertia pomeridiana.

Habitus corporis erat macilentus; musculi totius corporis rigidi, imprimis extremitatum

inferiorum, lividitas totius fere corporis, cutis manuum et plantæ pedum corrugata, tota vola manuum livida, facies collapsa erat.

In cavo cranii: — Duræ matris vasa pariter ac sinus omnes sanguine multo turgebant. In media parte cerebri, ad latus sinistrum sinus longitudinalis, dura mater tumore fluctuante, diametro nucis avellanæ circumscripto, elevata, quo inciso laticis aliqua copia effluxit, inter duram vero matrem et arachnoideam in tota superficie guttatim serum sanguinolentum stillabat. Arachnoïdea huc et illuc haud pellucida et fortiter piae matri adhærens. In lobis anterioribus hæmisphæriorum parva aderat effusio sanguinis inter cerebrum et piam matrem, similis in postica et superiori parte cerebelli. In substantia cerebri punctorum nigricantium justo major copia, ceterum omnia in statu normali.

In specu vertebrali: — a parte postica et antica dura mater rubebat summopere, et parvam laticis copiam continebat. Arachnoidea difficillime inflari potuit. Piae matris vasa in statu naturali, nullo modo turgida. Substantia medullæ in media parte dorsali ad pollicis extensionem emollita, et cruore aliquantulum suffusa erat.

In cavo pectoris: — Membrana interna laryngis et tracheæ in statu naturali. Pulmones col-

lapsi, sanguine spumoso impleti erant, in antica superficie colore ex griseo-livescente, in postica nonnihil rubescente, intrinsecus ex atrorubro. Cordis in superficie externa vasa turgebant. Totum atrium dextrum pariter ac ventriculus dexter, massa nigra gelatinosa, ex sanguine coagulato concreta, eaque ubicunque firmiter adhærente, impletum erat. In atrio sinistro ejusdem indolis aderat massa, sed multo minor, valvulis mitralibus adhærens, et ramum ad arteriam aortam mittens. Reliqua cavitas cordis sinistri sanguine nigro coagulato impleta erat.

In cavo abdominis: — Peritonæum, omentum, nisi quod justo tenuius, et hepar in statu naturali erant. Vesicula fellea bile atro viridicante impleta erat. Specillum ex vesicula fellea trans ductum choledochum non transiens, ex duodeno facile in illam penetrare potuit. Ventriculus aëre distentus, colore naturali. Colon transversum in situ mutato, arcu versus inferiora pendente. Intestina tenuia partim aëre inflata, partim collapsa, leviter rubebant. Intestina crassa aëre distenta, excepto colo transverso, quod ad flexuram secundam, (pariter ac ipsa flexura iliaca, cujus diameter vix pollicem superabat) angustatum erat. Initium coli ascendentis rubebat. Ventriculi membrana interna et duodeni in statu naturali. Reliqua in-

testina rubedinem rosaceam hinc illinc magis intensam, vix autem compactam, ostendebant. In fine jejuni, et per aliquod spatium in ileo, maculæ oblongæ, albidiores, deficientibus valvulis Kerkringii, nonnihil, quasi a sabulo insperso, elevatæ aderant. Ad finem coli transversi rubor maximus et quidem compactus, maculis fusco-rubris variegatus, dimidiam coli latitudinem occupans; in flexura iliaca maculæ rubræ minus fuscæ. Plexus solaris in statu consueto. In arteria aorta parva sanguinis rubri, liquidi copia reperiebatur. Substantia lienis emmollita. Renes, nisi quod multo sanguine turgerent, in statu naturali erant, perinde ac uterus et ovaria. Vesica urinaria vacua, sed in statu normali. Arteria cruralis et radialis vacuæ.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXXVI.

Ancilla Dominæ N.... D.... K.... annum vitæ suæ 45 agens, constitutione corporis subrobusta gaudens, et temperamento cholerico, morbo affecta intravit hora X^ma^ matutina Novembris 12 die Nosocomium Joakimansky, ubi examine morbi instituto apparuit, illam diarrhoea jam intra quinque dies laborasse et nunc Medico examinanti adhuc sese obtulerunt: dolor maximus sub scrobiculo cordis, spasmi ex-

tremitatum inferiorum atroces, superficies totius corporis frigida et aspera, pulsus debilis et parvus, vertigo, linqua sicca et rubra, prostratio virium summa, facies pallida, cholerica. Ordinatio: — decocti rad. saleb. unc. vj. tincturæ opii dr. semis. M. D. S. omni hora cochlear, itemque frictiones spirituosæ, balnea salina, et vapores acetosi aliquoties intra diem, synapismi epigastrio et suris, hirudines vero scrobiculo apponebantur. Tandem hora X^ma^ vespertina ægrota vita defuncta est.

Inspectio cadaveris instituta est nobis præsentibus a D. D. Kudriawzoff, Kikin et Bogoliuboff Novembris 13 die hora X matutina.

Habitus corporis externus:— Color totius corporis lividus, præprimis ad apices digitorum manus, venæ striarum instar ad posticam utriusque femoris partem a sanguine in iis condensato conspicuæ erant; dissecta cute sanguis niger cum difficultate effluebat, cutis digitorum satis rugosa; rigiditas præprimis extremitatum magna, oculi semiaperti, facies non collapsa.

Aperto cranio: — Vasa duræ matris sanguine nigro abundanter repleta erant; resecta tamen duræ matris particula et aqua abluta statim colorem amittens, albida evasit, rubescentes vasorum ramificationes retinens. Sinus longitudinalis, transversi et basilares multo sanguine

nigro turgebant pariter ac vasa externa cerebri, arteria callosa et basilaris. Arachnoidea neque inflatu, neque secessu facilis erat, etiamsi sub illa ad sulcos cerebri parva humoris serosi effusio nonnullis in locis deprehenderetur. Substantia cerebri resecta et quoad colorem et quoad densitatem naturalis, etiamsi ad corpus semiovale Vieussenii sat numerosa puncta parva fusco-rubra apparuerint, et repetita superficiali cerebri sectione, comprimendo sanguis nigrescens effluxerit. In ventriculis ad cornua humoris quantitas normalis; plexus choroidei sanguine impleti erant, et sanguis in minoribus vasis rubescens, in majoribus nigrescens erat. Vasa cerebelli multo sanguine nigrescenti repleta erant.

In specu vertebrali : — Exemta medulla spinali dura ejus mater in statu normali; arachnoidea ad superficiem externam tres a se invicem remotas squamulas parvas cartilagineas habebat; ipsa arachnoidea facilior separatu, quam inflatu, multis in locis pelluciditatem suam amiserat, pia mater, ad initium caudæ equinæ, vasis sanguine rubescenti repletis abundabat, ita ut confluxu vasorum hoc in loco rubedo compacta appareret; substantia interna medullæ spinalis in centro suo justo magis rubescere videbatur.

Aperto cavo pectoris : — Pulmones non multum collapsi, flaccidi, coloris grisco-rubri, lobus inferior pulmonis sinistri et costis et diaphragmati firmiter adhærebat, coloremve intense rubicundum habebat, substantiæ internæ color in pulmonibus rubescens, in lobo autem sinistro et inferiori rubedo intensior erat. Vena jugularis sanguine nigro turgida. Arteria aspera in statu naturali. Atrium cordis dextrum sanguine nigro præabundabat, ex ipsa præterea auricula in ventriculum descendebat massa fibroso-gelatinosa, quæ fere totam cavitatem ejus implens, ad trabeculas carneas adhærebat; in atrio sinistro et ventriculo reperiebatur ejusdem indolis sanguis minori tamen copia. Massa polyposa in ventriculo sinistro inter trabeculas solummodo retinebatur, et ad valvulas adhærebat, in atrio vero deficiebat. Nervus sympathicus magnus in pectore a latere sinistro denudatus naturalis erat, pariter ac nervi intercostales et plexus brachialis; ipsa Ganglia cervicalia, medium scilicet et infimum, a statu naturali non recedebant.

In cavo abdominis : — Ventriculus justo angustior, quoad colorem in statu naturali; intestina tenuia plus, quam par est, rubebant; intestina crassa ab aëre distenta, excepto colo descendenti, quod parumper coarctatum erat, omnia coloris naturalis. In interna superficie

ventriculi solummodo ad fundum ejus quædam striæ rubescentes aderant; totus tractus intestinorum tenuium rubedine rosacea, non tamen compacta, tinctus erat, in ileo autem hinc inde rubedo et intensior et compacta observabatur; in initio coli ascendentis, et medio transversi maculæ ruberrimæ et compactæ apparebant, reliqua pars crassorum in statu naturali, solummodo hinc inde maculis subviridibus obsita. Hepar quoad colorem naturale, non voluminosum et flaccidum erat, vesica fellea viridis, nimis a bile nigrescenti, sat liquida distenta. Splen in statu normali utique et Renes; venæ renales sanguine repletæ; pelves renales et ureteres integri. Vesica urinaria coarctata, ab externa superficie magis albescens, quam ab interna. Uterus cum suis partibus sanus.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff. Bogoliuboff. Kykin.

XXXVII.

Serva P.... 35 annos nata, constitutionis corporis subrobustæ, temperamenti sanguinei, Novembris 8 die morbo affecta in Nosocomium Joakimanskoy suscepta erat, ac primo Medici intuitu satis sana esse videbatur. Faciei colorem habebat rubrum, cutem calidam, pulsos plenos et duros, conquerebatur de dolore capitis et sub scrobiculo, de pressione superioris partis pec-

toris, et de diarrhoea quinquies de die repetita, et intra quatuor jam dies continuata. Mox ægrota balneo tepido salino immissa erat, et frictionibus spirituosis sæpe repetitis, hirudinibus octo epigastrio appositis, sinapismis superiori parti pectoris, abdomini, et suris applicatis, mixtura ex potione River. aqua menthæ p. et tinctura opii parata cochleatim omni hora, et pulvere ex calomelan. gr. v. cum sacharo composito utebatur. Altera (9) die ægrota se melius sentire cœpit, detinebant solummodo eam debilitas corporis parva, levis dolor capitis et pectoris oppressio. Ordinata erant : — Mixtura eadem, et pulveres ex calomelan. gr. j. extracti hyosciami gr. semis et opii puri $\frac{1}{4}$ gr. compositi, omni bihorio sumendi. Tertia (10) die doloribus extinctis ægrota reconvalescens æstimabatur. Quarta (11) die hora IX matutina, ex causa ignota (ex refrigerio verosimiliter perpesso) diarrhoea, vomitus, spasmi extremitatum violentes, frigus totius corporis, cutis anserina, color faciei ex cœrulescenti niger, pulsus parvus, debilis, vix sensibilis, respiratio difficilis, anxietas et dolor sub scrobiculo, summo in gradu apparebant. Præter remedia externa præscriptum : Decocti Saleb unc. vj. tincturæ opii dr. semis. Moschi orient gr. jv. mucilaginis Gummi Arab. unc. j. M. D. S. omni bihorio et sæpius cochlear jj. m. Quinta (12) die symp-

tomata eodem tenore continuabant, et post meridiem ægrota in statu soporoso vita defuncta est et cadaver illius odorem fœtidum brevi post mortem spargebat.

Inspectio cadaveris, nobis præsentibus, a DD. Kudriawzoff, Bogoliuboff et Kykin Novembris 13 die hora secunda pomeridiana instituta est.

Habitus corporis externus: — Color totius corporis in parte postica lividus, in antica naturalis, livor ad volas manuum et digitos intensior reperiebatur, ubi et rugositas cutis notabilis observata erat, digiti contracti, facies collapsa, oculi semiaperti et collapsi.

In cavo cranii: — Vasa duræ matris, sinus venosi, vasa cerebri externa, circulus arteriosus Willysii et arteria callosa sanguinem nigrum modica in quantitate continebant. Tunica arachnoidea sat facile inflabatur, et a pia secedebat. Substantia cerebri, cerebelli, cavitates, contenta in iis, et plexus choroidei, nil alienum exhibebant.

In specu vertebrali: — Exemta medulla spinali dura mater aliquantulum relaxata. Tunica arachnoidea facillime separabatur et paulisper opaca erat, pia mater, in antica superficie medullæ modice, caudam versus abundanter, sanguine repleta erat; in superficie postica injectio vasorum hujusce velamenti multo major

reperiebatur, et circa caudam vasa ita confluebant, ut rubedinem compactam exhiberent, quod et armatis et nudis oculis patebat, circa caudam præterea emollitio substantiæ medullaris observabatur.

In cavo pectoris: — Pulmones collapsi et flaccidi, coloris extrinsecus grisei, inter lobos et in substantia rosei, pericardii vasa, præprimis ad apicem, abundanter sanguine nigrescenti erant injecta; in utroque atrio et ventriculo reperiebatur sanguis niger, massa fibroso-gelatinosa, membrani-formis, ex ventriculo dextro ad atrium et initium arteriæ pulmonalis ascendebat, in sinistro vero deficiebat. Larynx naturalis.

In cavo abdominis: — Peritonæum et omentum in statu normali, viscera situm naturalem conservabant. Ventriculus erat coarctatus, coloris naturalis, intestina tenuia aëre impleta, duodenum et initium jejuni leviter rubebant, reliqua ejus pars coloris ex livido-rubri, color hic intensior erat in ileo; intestina crassa in toto suo tractu ad crassitiem digiti minimi angustata, ad initium tamen flexuræ iliacæ paulisper aëre repleta, quoad colorem etiam ex livido-rubra erant. Interna superficies ventriculi naturalis, excepto introitu, ubi levis rubedo aderat. Intestinis dissectis interna superficies duodeni et ad dimidium jejuni colore naturali,

reliqua ejus pars colore intense rubro, ilei color ex griseo-rubescens, cœcum et initium coli ascendentis coloris fusco-rubri, reliqua pars usque ad transversum fere naturalis; ultimus tractus crassorum, præsertim colon transversum, colore ex fusco-rubro compacto, fere nigricante, absque destructione membranæ mucosæ (sicuti in Melanosi esse solet.) Hepar, lien et renes in statu normali.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff. Kykin. Bogoliuboff.

XXXVIII.

Rusticus A.... Ja..... 60 annos natus, constitutione corporis debili gaudens, Novembris 10 diei ipsa meridie transvectus erat e navigio (nomen habente barca) Mercatoris G.... in Nosocomium Serpuchowskoy, ubi examine instituto symptomata morbi consignata erant hæc: debilitas maxima et frigus totius corporis, dolor capitis, oculi concavi, labia livida, lingua muco albo obducta, pulsus imperceptibilis, dolor sub scrobiculo cordis, spasmi extremitatum vehementissimi, vox valde submissa, vix ac ne vix audienda, diarrhœa, vomitus continuus. Cura interna erat: Acidi Sulphurici concentrati guttæ jjj. cum cochlearibus aquæ communis jj. sumendæ. Externa vero:— Balneum calidum aquosum, frictio totius cor-

poris spiritu salis ammoniaci caustico cum tinctura capsici annui, fomentatio corporis tepida, et vesicatorium scrobiculo superimpositum. Sexta hora vespertina continuantibus symptomatibus adhuc singultus apparebat.—Altera (11) die singultus cessavit, et spasmi mitigati sunt, nondum profligatis aliis symptomatibus. Remedium porrectum erat idem, et frictio eadem pluribus vicibus intra diem repetita. Tertia (12) die livor extremitatum inferiorum, et præprimis circa genua, retentio urinæ, reliquis symptomatibus continuantibus accesserunt. Remedium præscriptum : — Emulsionis seminum cannabis cum Kali nitr. cochlearia duo omni hora. Externe adhibita sunt: — fomentatio tepida abdominis, inunctio ejus linimento volatili camphorato, et injectio clysmi amylacei cum tincturæ opii guttis x. Quarta (13) die apparebant alvi-fluxus cruentus, (media adhuc nocte excitatus) absentibus vomitu et spasmis, livor et frigus totius corporis, pulsus nullus, lingua alba, anxietas summa ægrum ad continuam jactationem in lecto cogens. — Debilitas virium summa, dein omnium symptomatum exacerbatio et hora post mediam noctem XII ipsa denique mors.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 14 die hora X matutina.

Habitus corporis externus erat non admodum robustus, musculi extremitatum inferiorum rigidi, brachia livebant, cutis palmæ manuum corrugata, ad apices digitorum livida, facies non admodum collapsa, albuginea non rubebat.

In cavo cranii: — Dura meninx in statu naturali. Sinus longitudinalis multo sanguine turgidus. Arachnoidea firmiter piæ matri ubicunque adhærens, pluribus in locis pelluciditatem suam amiserat. Pia mater facilis avulsu, vasa tamen ejus a statu naturali non recedebant. Punctorum nigricantium inter dissecandum major copia apparuerat. In ventriculis parum laticis aderat.

Aperto specu vertebrali: — In superficie externa duræ matris nihil peculiare, nisi quod ad caudam equinam latice extenderetur, ex quo loco inter incidendum laticis uncia dimidia effluxit. Dura mater in parte cervicali crassior, quam in statu naturali, et arachnoideæ firmiter accreta. Arachnoidea ibidem haud pellucida, in reliquo vero tractu medullæ pellucida, et facilis inflatu. In facie postica vasa piæ matris valde turgida. Substantia medullæ erat ceterum normalis.

In cavo thoracis: — In pariete postica laryngis parva rubedo. Pulmones multo aëre inflati

erant, extrinsecus in superficie antica colore ex griseo-livescente cum maculis livescentibus, in superficie postica ex livido-purpureo cum maculis lividis. Incisis pulmonibus, colore fusco-purpureo versus posticam partem, quidquam pallidiori versus anticam, magna copia sanguinis spumosi nigri effluxit. Pericardium adiposum a vasis injectis lividum erat. Vasa propria cordis maxime turgida, cor ipsum a sanguine implente turgidum et lividum, maculis albidis in superficie præprimis hinc et illinc ad tractum vasorum variegatum. In atrio dextro aderat massa albida fibrosa, sanguine quasi ad gelatinam coagulato obducta, usque ad apicem ventriculi descendens, ubicunque et præprimis valvulis tricuspidalibus firmiter adhærens, et ramum ejusdem indolis crassum et firmum ad arteriam pulmonalem mittens. In atrio sinistro massa nigra gelatinosa ex sanguine firme coagulato conflata, versus ventriculum in albidam, fibrosam, mutata, ubique parietibus præprimis valvulis mitralibus firmiter adhærebat et ramum vermiformem ad arteriam aortam mittebat.

In cavo abdominis: — Peritonæum in statu naturali; omenti lamina posterior mesenterio firmiter accreta. Ventriculus aëre inflatus, in medio suo ad duos pollices coarctatus, erat colore grisescente. Intestina in situ normali,

paulisper aëre impleta, colore griseo-viridicante, hinc et illinc leviter rubescente. Colon transversum verum enimvero omento inferius (fere ad umbilicum) deductum erat, et uti reliquus tractus crassorum, cœco excepto, collapsum et angustum. Color crassorum nonnihil erat pallidior quam tenuium. Interna superficies ventriculi duodeni et jejuni a muco iis adhærenti coloris fusco-viridicantis, quo ablato saccus cœcus maculis rubris compactis tectus apparuit. Duodenum et jejunum in statu naturali. Reliquus tenuium tractus leviter rubebat a distinctis ramificationibus, versus finem autem ilei transversales maculæ rubræ compactæ, vestigia valvularum conniventium occupantes. Cœcum et colon ascendens, præter maculas intense rubras, dimidium vero coli transversi, præter levem griseum colorem, in statu naturali erant; reliqua pars crassorum, præsertim finis coli descendentis, et rectum maculis latis ruberrimis, imo nigricantibus (melanose), tecta, ubi et crassities membranarum major observabatur. Hepar colore ex livido rubro, ceterum in statu naturali, magna vero copia sanguinis impletum erat. Vesica fellea collapsa, bilem atro-viridicantem continens. Arteria aorta descendens sanguinis atri coagulati maxima copia impleta, eodem modo vena cava. — Renes et lien in statu naturali. Vesica urinaria summo-

pere contracta, membranæ ejus crassæ, interna erat livida. Plexus cœliacus in statu naturali. Nervus vagus et sympathicus a latere dextro, nec non plexus brachialis cum ramis suis nihil peculiare ostendebat. In nervo Ischiadico vasa ejus striarum ad instar lividarum inter fibras ejus multis in locis observabantur.

Jæhnichen. Markus. Rinsky. Kudriawzoff.

XXXIX.

Serva Ju. Dn. Sch. 45 annos nata, constitutionis corporis robustæ, temperamenti plus sanguinei, quam cholerici, Nosocomium Piatnizky ingressa est Novembris 10 die, ubi examine morbi instituto, annotata sunt: — Vomitus vehementissimus, diarrhoea minus crudelis, extremitates frigidæ, spasmis præprimis inferiores affectæ, pulsus fere nullus. — Balneo vaporario bis, et frictionibus spirituosis sæpius institutis, interne pulvis aërophorus erat propinatus alternatim cum mixtura ex Potione Riverii, aqua Menthæ p. et decocto Saleb composita, omni hora cochleatim sumenda. Altera (11) die tempore vespertino vomitus perfecte cessavit, diarrhoea autem elapso quodam spatio in dysenteriam mutata, spasmi fere nulli, pulsus vix sensibilis erant. Frictionibus repetitis et liquore anodino miner. Hoffmani

mixturæ addito, clysmus ex amylo cum aceto vini erat injectus. Tertia (12) et quarta (13) die debilitas virium erat adaucta, anxietas præcordialis ac alia symptomata in eodem gradu continuabantur. Propinatus erat pulvis ex Moschi orientalis gr. jj. et sacchari gr. x. compositus, omni bihorio sumendus. Hora quarta pomeridiana ægrota vita defuncta est.

Inspectio cadaveris nobis præsentibus a DD. Kudriawzoff, Bogoliuboff et Kykin Novembris 14 die hora X matutina instituta est.

Habitus externus: — color corporis naturalis, extremitates vero inferiores fortiter livebant, livor hic reperiebatur et ad volas manuum, ubi præterea rugositas satis magna observabatur, rigiditas solummodo in extremitatibus inferioribus aderat, et quidem magna. Facies minime collapsa, flavescens, oculi semiaperti collapsi erant.

Integumentis capitis dissectis atque separatis, musculi temporales coloris naturalis non sanguinolenti apparebant; aperto cranio vasa duræ matris a parte postica, quæ ad cerebrum et medullam oblongatam pertinet, plus quam par est, sanguine nigro injecta erant; exemto cerebro una cum medulla spinali suffusio sanguinis inter corpora vertebrarum cervicalium,

et ligamentum eorum posticum per totum colli tractum maxima, compacta erat, ipsa dura mater hac in parte ruborem intensum, et ad initia nervorum cervicalium compactum, habebat; dissecta dura matre, ad medullam spinalem pertinente, vasa piæ matris a parte postica maxime turgescentia, sanguine rubro repleta apparebant, multis in locis in tractu spinali confluxum hæc minima vascula compactum repræsentabant, et ad caudam equinam rete vasorum tam compactum et amplum aderat, ut propius ad ecchymosen accederet. Injectio vasorum duræ matris spinalis in toto ejus tractu ab interna parte, eorumque ramificatio oculis nudis luculentissime apparebat. Tunica arachnoidea in cerebro et in medulla spinali a pia non secedebat, neque inflabatur, ceterum in medulla oblongata facile a postica parte per se secedebat, et opacitatem exhibebat, in cerebello autem hæc tunica facilius dilacerari, quam separari sinebat. Injectio vasorum cerebri et cerebelli superficialium, sanguine nigrescenti repletorum, plus, quam naturalis erat. Ipsa eorum distentio nonnullis in locis notabilis reperiebatur, ad processum vero longitudinalem et magis ad partem posticam in hæmisphærio cerebri sinistro nigrescens macula sat ampla observata; in superiori adhuc parte cerebelli, circa processum vermicularem in dextro

ejus lobo vera ecchymosis magna reperta est. Substantia cerebri et quoad colorem et quoad textum naturalis, ipsaque puncta supra centrum semiovale Vieussenii, post sectionem apparentia, neque suo numero, neque effusione sanguinis statum naturalem excedebant. Denudatis ventriculis, plexus choroidei laterales sanguine rubescente turgebant; medius vero nigro maxime præabundabat, ita, ut vasa ejus evidenter distenta essent; glandula pinealis, eminentia quadrigemina et ventriculus quartus in statu erant normali, et ultimus erat albescens, nec minime sanguine præabundabat.

Aperto cavo pectoris: — Pulmones non collapsi, ab antica parte coloris griseo-lividi, a postica rubescentis, inter lobos rosei; vena azygos, jugulares externæ et subclaviæ sanguine nigro turgebant; arteriæ vero carotides, subclaviæ vacuæ erant; arteria innominata a parte sua antica maculam nigram habebat, quæ tamen macula in tela cellulari erat, nam separata hac, ipsa macula una cum tela cellulari secessit; nervi vagi, in superiori cervicis parte, quoad colorem naturales erant, sed unus, circa arteriam subclaviam in dextro latere maculam fusco-rubram offerebat, descendendo ad plexum pulmonalem profundum duæ adhuc maculæ ap-

parebant parum inter se distantes, colore eodem, quæ ad intimum stratum telæ cellulosæ ipsum nervum ambientis firmiter adhærebant, et ecchymoseos similitudinem quam proximam exhibebant; prima macula prope initium nervi recurrentis Galeni sedem habebat. Ipse recurrens aliquantulum magis rubescere videbatur. Plexus brachialis lateris sinistri quoad colorem naturaliter se habebat. Arteria aspera ab intus levissime rubebat, œsophagus adhuc levius, et materiam flavescentem in interna superficie continebat, ceterum et ab externa œsophagi parte rubedo quædam non deficiebat. Cor a parte antica satis adiposum, a postica vena magna Galeni, et coronaria, aliæque parvæ sanguine nigro præabundabant, et nonnullis in locis ecchymoseos similitudinem exhibebant. —Atrium cordis dextrum, et ventriculus dexter sanguine nigro grummoso repleti, materia præterea gelatinoso-fibrosa trabeculis carneis adhærens, ex ventriculo in atrium et arteriam pulmonalem ramos flavescentes emittebat. Atrium vero sinistrum et ventriculus ejusdem lateris non multum sanguinis nigri grummosi continebant, præcipue ad valvulas mitrales.

In cavo abdominis: — Ventriculus coloris naturalis, in media sua parte dextrorsum potius coarctatus erat ita, ut in diametro suo duos

pollices cum dimidio non superaret; intestina tenuia aëre distenta, ex viridescente-rubra, colon ascendens et transversum eodem modo aëre inflata, sed descendens una cum cœco in diametro angustata; omnia crassa coloris fusco-viridis. Ventriculo et intestinis exemtis, lavatis, et per longitudinem dissectis, interna superficies ventriculi, ubi coarctatio erat, parum rubebat, continebat præterea materiam flavescentem. Duodenum et jejunum ab intus coloris naturalis; ileum colorem rubrum per totum tractum exhibebat, rubedo hinc inde compacta apparebat, præcipue ad finem, intestina crassa per totum tractum maculis sat magnis nigris, raris tamen, præcipue ad rectum et cœcum, erant obsita (sicuti in Melanosi esse solet.) Hepar quoad substantiam et colorem in statu naturali; vesica fellea bile nigra, satis spissa distenta. Splen rugosum, in superficie anteriori et ad marginem inferiorem maculas albescentes hinc inde sparsas ostendebat. Renes in statu naturali; vesica urinaria coarctata, quoad colorem naturalis. Uterus a parte antica rubescens, a postica ex fusco-rubescens, ab interna aliquantulum albescens. Arteria aorta fere vacua, arteria femoralis et poplitea ejusdem qualitatis sanguinem ac venæ, attamen minori copia, continebant.

Nervus ischiaticus sub gluteis albescens, in parte femorali vero rubescebat ita, ut rete vasorum repsæsentaret, in ulteriori suo tractu vero nil præternaturale exhibebat.

Jæhnichen. Markus. Riusky. Kudriawzoff. Kikin. Bogoliuboff.

XL.

Rusticus Pr. . . . . O. . . . . Th. . . . . Ma. . . . . constitutionis corporis robustæ, morbo correptus est in domo V. . . . e sectione urbana Novembris 14 die hora VII vespertina. Prima morbi symptomata erant vomitus aquosus quinquies, et alvifluxus similis multoties repetiti, vertigo, sensus pressionis in pectore et sub scrobiculo, susurrus aurium, frigus totius corporis, ac pulsus debilis. Adiens illum Medicus porrectis laudani liquidi S. guttis xx et liquoris mineralis Hoffmani gutt. xjj. in Nosocomium transvehi ægrotum jussit. Hic collocatum obtinebant symptomata: debilitas totius corporis, anxietas, nausea et vomitus, diarrhoea frequens, tenesmis concomitata, pulsus fere nullus, respiratio non tam libera, extremitates superiores et inferiores frigidæ lividæque, lingua crusta alba obtecta, facies pallida, vox rauca, oculi concavi, absentibus tamen spasmis. — Ordinatum erat infusio Valerianæ (unc. vj.) cum æthere sulphurico et liquore cornu cervi succin. (ää

dr. jj.) cochleatim omni dimidia hora sumenda. Externe balneum vaporarium per duas vices adhibitum erat, pariter ac frictio spirituosa, nec non clysmus amylaceus cum decocto Ratanhiæ. Horis tandem duabus in lectulo Nosocomii protractis, ægrotus sellæ insidens, secunda hora post mediam noctem morte defunctus est.

Inspectio cadaveris instituta est Novembris 16 die hora decima matutina.

Habitus corporis—medius, facies non multum collapsa, albuginea non rubebat, livor per totum corpus diffusum, rigiditas musculorum, præprimis in extremitatibus inferioribus, magna, cutis in volis manuum, præprimis digitis et plantis pedum, corrugata; apices digitorum extremitatum superiorum livebant.

Aperto cavo cranii: — Duræ matris vasa satis injecta apparebant, et parva ejus concretio cum arachnoidea in antica parte hæmisphærii sinistri cerebri reperiebatur, sinus ejus omnes multo sanguine nigro et fluido turgebant. Arachnoidea multis in locis, præsertim supra sulcos cerebri, haud pellucida et firmiter cum pia matre concreta. Piæ meningis vasorum injectio in hæmisphærio dextro statum normalem

parum excedebat, in sinistro autem major observabatur. Istam membranam inter ac cerebri substantiam pauca laticis collectio inveniebatur, et ipsa membrana a cerebro facile trahendo secedebat. In antica parte lobi posterioris hæmisphærii dextri macula rubra, a sanguine inter piam matrem et cerebri substantiam effuso producta, qualis, sed minor, in postica extremitate hæmisphærii sinistri observabatur; etiam levissima effusio sanguinis, in tota fere cerebelli superficie inferiori, inter piam matrem et ipsius substantiam inveniebatur.

In specu vertebrali: — Dura mater, ceterum normalis, parvam laticis copiam continebat, arachnoidea in postica facie partis medullæ cervicalis cum dura matre concreta, levemque opacitatem hic inde offerebat, et facilis inflatu erat. Vasa piæ matris in superficie postica partis dorsalis sat multum injecta, in antica vero nihil præternaturale observabatur. Substantia medullæ inter 7 et 8 nervorum dorsalium par emollita, colore vero non mutato.

In ventriculis cerebri lateralibus minima laticis copia, plexus choroidei parvas hydatides et rubedinem intensam offerebant, reliquæ partes in cerebro statum normalem servabant. Arteria basilaris sanguinem nigrum continebat.

Cavum thoracis: — Pulmones non ex toto collapsi, colore extrinsecus et in antica parte cœruleo-rubescente, in postica autem livido purpureo; intrinsecus et anterius viridi-purpureo, posterius vero ex fusco-purpureo, et multo sanguine nigro, spumoso referti erant. — Pericardium in statu naturali. Cor flaccidum, vasa ejus propria sanguine nigro turgebant, in superficie externa maculæ et striæ albæ (lactei coloris) nonnullis in locis, præsertim ad decursum vasorum, observabantur. Atria pariter ac ventriculus dextri lateris, sanguinis nigri, congrumati plena. In auricula dextra massa parva, fibrosa, membraniformis, tenuis, ex una parte sanguine congrumato, firmiter ei adhærente, tecta, et musculis pectinatis adcreta, inveniebatur. In ipso ventriculo ejusdem indolis massa membranæ ad instar circa lineam crassa et sat lata, trabeculis carneis et valvulis tricuspidalibus adhærens et ad arteriam pulmonalem protensa. In atrio et ventriculo dextro magna sanguinis nigri congrumati copia. Ex auricula sinistra incipiebat tenuis membrana fibrosa ex una parte sanguine congrumato, nigro (quasi gelatinoso) tecta, a musculis ejus pectinatis incipiens, et versus ostium venosum ventriculi (hujus lateris) descendens, ibique valvulis mitralibus firmiter adcreta, ramum multo ea crassiorem, angustum, usque ad apicem

ventriculi descendentem et trabeculis carneis adhærentem; alterumque priore angustiorem sed bis longiorem in arteriam aortam mittens.

Cavum abdominis: — Peritonæum et omentum in statu naturali. Situs omnium viscerum normalis. Ventriculus, omniaque intestina non multo aëre distenta, color eorum extrinsecus normalis, intrinsecus ventriculus minimam rubedinem in fundo suo offerebat; versus finem coli nonnullæ parvæ maculæ compactæ rosaceæ observabantur, reliquus tractus intestinorum plane normalem statum exhibebat. Hepar in statu naturali, vesica fellea bile ex atro flavescente distenta; pancreas, lien, plexus solaris, prouti et vesica urinaria in statu normali. Aorta sanguine nigro, ex parte] congrumato, impleta; vena cava, perinde ac portarum, sanguine ejusdem indolis distenta, tunicæ istorum vasorum normales. In arteria crurali sanguis niger cum floccis fibrosis albidis mix tu ejusdem coloris ac in radiali. — Nervus vagus, glossopharyngeus, hypoglossus, sympathicus magnus a ganglio secundo cervicali per totam thoracem et cruralis nihil peculiare ostendebant.

Jæhnichen. Markus. Rinsky.
